# DISQUISITIO HISTORICA.

# DISQUISITIO HISTORICA

DE

# IURIS CIVILIS DOCENDI DISCENDIQUE VIA AC RATIONE APUD ROMANOS.

**PARS PRIOR,**

ARGUMENTI EXPOSITIONEM CONTINENS USQUE AD LIBERAE REIPUBLICAE INTERITUM.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

**BARTHOLDI HENRICI LULOFS,**

*Iur. Utr. Doct. in Facult. Phil. Theor. et Lit. Hum. Prof. Ord.*

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS IURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN IURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

**IN ACADEMIA GRONINGANA,**

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICAE OMNIUM DISCEPTATIONI OFFERT

IOANNES DE WAL,

*FRANEQUERA-FRISIUS.*

DIE XX M. MARTII A. MDCCCXXXIX. HORA XII.

IN AUDITORIO IURIDICO.

GRONINGAE,

APUD W. VAN BOEKEREN.

1839.

HENRICO NIENHUIS,

IACOBO HERMANNO PHILIPSE,

CORNELIO STAR NUMAN,

Viris Clarissimis,

Antecessoribus Groninganis,

s. p. d.

IOANNES DE WAL.

Ex stadio Academiae egressuro, quid mihi, Viri Clarissimi, optatius accidere posset, quid iucundius, quam ipsa hac frui opportunitate, qua publicum Vobis offeram grati animi observantiaeque testimonium? Etenim, cum in memoriam mihi revoco sexennium illud, per quod in alma hac Musarum sede in Literarum Humaniorum et Iurisprudentiae studium incumbere mihi licuit, et acerbissimum menti renovari sentio luctum, et dulcissima simul

temperari laetioris fortunae recordatione. Etenim cum vix in studiosorum numerum essem receptus, coniugi, liberis, literis, patriae subito mortem eripuisse novistis illum, quo nemo liberorum amantior pater, praeceptor magis sollicitus nemo unquam exstitit. Multiplicis memini communis colloquii, quo sale iocis intermixto liberorum formaretur animus et ad bona quaeque arripienda fieret propensior: quotidianam recordor veteris sermonis historiaeque disciplinam, qua adolescens ad Academica studia rectius praepararer: fallacis tandem moestus reminiscor augurii, quo de futuris suis in Iurisprudentia mecum communicanda confabularetur curis. At nec desunt, quae dolorem temperare iubeant: idemque, quod iam peractum est studiorum curriculum, beneficiorum in me a Vobis caeterisque praeceptoribus collatorum suscitat memoriam, qui omnia illa conati estis, quibus absentis restitui quodammodo arbitrarer praesentiam.

Inter hos, qui in Literarum studiis mihi exstiterunt

doctores, primum nuncupare fas est virum doct. SCHNEITHER, cuius publica in scholis egregia institutio cum domestica patris fuit coniuncta: qui vero hoc praeterea nomine me sibi devincire voluit, quod, discipuli e ludo dimissi nequaquam oblitus, privatim praeterea literarum antiquarum studia communi veterum lectione alenda curavit.

Neque hac opportunitate abesse possum, quin eos commemorem viros clarissimos, quos in Philosophia ac Literis duces expertus sum fidelissimos. E quorum numero unum BERDIUM morte abreptum lugemus: caeteris vero cunctis gratiam habere liceat quam maximam pro multiplici ratione, qua mihi studiisque meis faverint. Quam utinam hodierno quoque die offerre possem viro celeberrimo GRATAMA, quem senem venerabilem inter praeceptores me habuisse perquam laetor: ille enim nunquam non tum monitis tum consiliis carissimum ipsi patrem meum imitandum mihi proposuit, qui eodem olim duce iisdem

occupatus fuerat studiis. Alacri et sollerti institutione discipulorum acuere ingenia neque in extrema neglexit vitae parte, suoque docuit exemplo, verissime aliquando pronuntiasse TULLIUM, senectuti celebrandae et ornandae nihil honestius esse posse quam iuris interpretationem.

Tibi autem, cl. NIENHUIS, quid dicam, quid profitear? Tuis me interfuisse de Iure Civile lectionibus, quae viam praepararent ad quascunque futuras in vita publica agendi partes? illisve frui mihi licuisse scholis, quibus omnia ea explicare soles, quae ad causarum patrocinium recte gerendum conducere possint? At haec omnia cum plurimis communia habui: id vero tuum ad collegae coniunctissimi memoriam eximie colendam sanctissimum credidisti officium, ut mecum peculiari deinceps repetitione omnia illa retractares Iuris Civilis capita, quae adolescenti difficultates parere possint: ut ita eadem plane ratione Te duce uterer ac modera tore, quâ ut illo aliquando frui liceret frustra spera-

veram. Accipias, precor, Vir optime, sinceram grati animi testificationem, neque in posterum tuam detrectes benevolentiam.

Tibi vero, cl. PHILIPSE, haud minora me debere studiorum praesidia, et declarat omne illud tempus, quod in Iurisprudentia excolenda transegi, et ipsum hoc testatur qualecunque progressuum specimen. Nimirum Tibi praesertim debeo istum Iuris Romani amorem, quem discipulorum animis instillare antiquum habes: Tu etiam, cum historicae inprimis huius Iuris parti iuvenilem animum adhaerere videres, consiliis monitisque id saepissime curasti, ut singularum rerum opportunitates ac rationes rectius perspicerem, neque exsultanti mentis ardore correptus in difficilioribus accuratam negligerem cognitionem. Quale denique in hocce opusculo ad editionem parando mihi praestiteris auxilium, non est quod dicam, cum omnes norint, qui tuam cogitent subtilissimam doctrinam atque erga

me benevolentiam praeclaram. Hoc autem, vir aestumatissime, Tibi persuasum habe, me in omni vitae parte id conaturum, ut tuo favore haud indignus videar.

Tandem Te compellare liceat, cl. STAR NUMAN, vir amicissime, cui quoque gratias agendi laetum, vale dicendi tristissimum mihi incumbit officium. Temporis memini illius, quo primum Tu, praeceptor clarissime, ad patris defuncti provinciam vocabaris, neque ab ipso illo die caritate me amplecti summaque ornare amicitia dubitasti. Dein vero, cum inter discipulos tuos numerarer, quali me prosecutus es benevolentia, quanto favore! Neque in scholis tantum illud expertus sum, cum Ius Naturale, aut Publicum, aut Gentium, aut Criminale ex tuo cognoscerem ore, at vel maxime in domestico familiaritatis usu, cum semper tua mihi patuerit domus, tuisque continuo me commendaveris, quotquot fuerint, propinquis atque amicis: ita denique

semper mea alueris studia, ut strenuissimo numquam caruerim in Iuris philosophia adiutore.

Iamque superest, ut nonnulla de huius qualiscunque scriptionis origine atque opportunitatibus referam. Vestro enim Ordini debeo, quod primum huicce argumento tractando operam navaverim: a quo cum a. 1835 in certamine literario postulata esset disquisitio historica de Iuris Civilis docendi discendique via ac ratione apud Romanos, equidem paullo audacior responsionis conscribendae cepi consilium: ad Iurisprudentiae enim studium vixdum properaveram; id vero conari cupiebam, ut non doctrinae, sed amoris in literas Vobis offerrem specimen. E quinque autem allatis Commentationibus palmam ei adjudicastis, cuius auctorem esse apparuit amicum meum IANUM GULIELMUM TYDEMAN, patris celeberrimi doctissimum filium: alteram vero (eamque mox meam esse cognovistis opellam) dignam judicastis, quae secundis ornaretur honoribus. Ab illo au-

tem tempore cum accuratius cognoscerem Iuris Civilis fontes atque historiam, ampla subinde oriebatur opusculi emendandi ac supplendi occasio, neque spe desistendum credidi, fore ut aliquando in eodem argumento elaborando melioris quiddam frugis ad Academicam disputationem proponere possem. Eorum vero, quae hic illic reperta collegeram ac notaveram, cum tanta paullatim succresceret moles, ut iustum speciminis modum superaturam esse disquisitionem, facile augurarer, te adire ratum duxi, cl. PHILIPSE, et priorem (quae hic Lectori offertur) particulam ut Te defenderem praeside benevole concessisti: alteram vero ad Doctoris gradum consequendum publicae offerrem disputationi. Sed uti plerumque sua fata habent libelli, ita quoque res meae domesticae quominus consilium perficeretur prohibuerunt. Scilicet cum de nostra inprimis aetate valeat, quod facetus ille Reipublicae ICtorum auctor de suo conqueritur tempore,

Felix ars Iuris, felix hac arte peritus,
Si foret huic arti dedita turba minor:

ita hodie inprimis iuveni parentibus orbato id enitendum videtur, ut omni sedulo ratione futurae suae prospiciat in vita civili saluti. Itaque cum mihi a viro amplissimo Provinciae Drenthinae gubernatore eiusmodi oblata esset statio, in qua et multarum rerum utilium conquirere possem usum, et meis consuleretur vitae praesidiis, nec tamen praxin negligerem iuridicialem, iam a proposita agendi ratione desistendum, citiusque ad summos in Iure honores eniti necesse fuit. Nec tamen quis putet alteram suppressum iri partem, quam mox prelo sum traditurus, simul atque in aptiorem redacta sit ordinem novisque aucta accessionibus: quo in labore perficiendo ut tuae iterum doctrinae auxilio, cl. PHILIPSE, tenues meae fulciantur vires, enixe flagito.

Quod ad universam adtinet disserendi rationem in opus-

culo adhibitam, non est, quod multa moneam. Illud vero addere operae pretium sit, me in cuiuscunque Iurisprudentiae Romanae aetatis enarratione brevem semper addidisse universi Iuris Civilis conspectum: antequam enim inquiramus, *qua via ac ratione* docuerint ac didicerint Romani, primum nos exponere oportet, *quid* discere potuerint. Neque illa negligenda existimavi, quae educationem puerilemque institutionem spectant, aut illas disciplinas elegantiores, quas feliciter cum Iurisprudentia excolenda coniunxerunt ICti. In ipsis vero aetatibus distinguendis primam ad Coruncanium perducendam esse, tutius existimavi: tertiae autem Alexandri Severi obitum (quo defuncto obmutuerunt Iuris Civilis oracula) terminum statuere, vulgaris hodie ac recepta fere est eruditorum sententia. At in secundae aetatis finibus recte regundis adeo diversae sunt atque oppositae virorum doctorum sententiae, ut difficile sit in hisce accurate definiendis

aptissimam eligere rationem: omnibus vero perpensis et pro mea mediocritate diiudicatis, eorum maxime mihi placuisse fateor sententiam, qui ab Octaviano Caesare rerum potito alteram repetendam esse arbitrantur periodum. Nimirum quamvis forte rectius in interna Iuris Civilis historia exponenda nonnulli cum GIBBONO atque HUGONE a Ciceronis nati tempore, seu anno p. U. C. 650, aliam incipere censeant aetatem, cuius exordium faciant leges Sullanae, in nostri tamen argumenti historia nihil conspicuum videtur, quod eiusmodi commendet discernendi rationem. Nec magis adsentiendum puto cl. MACIEIOWSKI, a Tiberio novam repetenti periodum, quod illo imperante vixit Masurius Sabinus, qui scholae nomen dedit: origo enim scholarum sub Augusto, huius item beneficium ICtis concessum, literarum studia post pacem restitutam laeto reviviscentia omine, haec omnia suadere esse videntur, ut receptam teneamus divisionem, licet illa nuperrime novam

tulerit Hugonis, viri de Iuris Historia egregii meriti, repulsam, ubi Tydemannianae Commentationis ageret censuram.

Haec fuerunt, quae dicenda habui. Vos autem Viri Clarissimi, benevole accipiatis precor iuvenile opusculum Vobis dicatum meique non obliviscamini, qui illud semper agere conabor, ut vitâ studiisque vestrum feram suffragium.

Scribebam
GRONINGAE,
ipsis Idibus Martiis
a. MDCCCXXXIX.

# SECTIO PRIMA.

## DE IURIS CIVILIS DOCENDI DISCENDIQUE RATIONE APUD ROMANOS AB URBE CONDITA USQUE AD TIBERIUM CORUNCANIUM.

### § 1.

*De Iuris Civilis apud Romanos primordiis.*

Principio cum Romana civitas, futurae suae nescia gloriae, exiguis adhuc imperii finibus contineretur, non statim iure probabiliter constituto usos esse imperii recens conditi incolas, cum res ipsa ac temporum declarat ratio, tum vero confirmant veterum testimonia. Quod enim universe JUSTINUS »nullis" ait »legibus tenebatur populus; arbitria principum pro legibus erant," quin egregie item conveniat in gentis Romanae infantiam, nemo facile in dubium

vocaverit: nimirum hîc quoque, teste DIONYSIO, τὸ δικαιωθὲν ὑπὸ βασιλέων, τοῦτο νόμος ἦν (1). Cujus quidem rei si causam quaerimus, non est profecto, quod priscos illos Romanos adeo justos praedicemus, ut beatae similes fuerint gentis,

quae vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat;

neque vero magis ex eo eandem explicare ausim, quod qui ex variis regionibus Romam confluxissent, sub civitatum quippe regimine vivere iam adsueti, principia iuris sibi fixa habuissent (2): imo contra adeo iuris qualitercunque constituti expertes fuisse videntur, ut primum Regis arbitrio ac prudentia opus esset, a quo qui iuris frena detractarent, neque legum in se suosque auctoritatem agnoscere didicissent, manu, potestate, quin et poenarum minis compescerentur (3). Reges igitur novam illam diversarum gentium hominumque consociationem ordinasse traduntur *institutis*, quae ad populi in-

---

(1) JUSTIN. *Hist. Philipp.* I. 1. DIONYS. HALIC. X. p. 627. Add. POMPON. *in* L. 2. § 1. D. *de Orig. Iur.*

(2) In quam sententiam inclinare videtur amic. TYDEMAN, in *Comment.* p. 15.

(3) Cf. CUJAC. ad POMPON. l. l. De voce *manu* cf. RUPERTI, *Comment. ad* POMPON. *in* UHLII *Opusc. Histor. Iur. illustr.*, p. 50 sq., qui CUJACIUM carpit: vereor ut recte.

dolem accommodata esse arbitrarentur: nonnullas etiam *leges* ad populum tulerunt, primo curiatim convocatum, postea vero, ut notum est, in classes et centurias descriptum. Utraque recensere nec posscit nec sinit instituti ratio: universe vero de eorum natura pauca haec animadvertere operae pretium sit (4).

Ipsa autem, quae hic in censum veniunt, cum publica civitatis instituta, tum leges latae, partim ad Jus Publicum, partim ad Jus Privatum sive proprie dictum Jus Civile pertinuisse, satis constat. Ad prius illud genus ea referenda, quae primus jam Rex de senatu constituit, de populi in curias descriptione, alia: ad alterum, quas idem tulisse narratur leges de confarreatis nuptiis, de patria potestate, caeteras: item quae Servio Tullio tribuuntur de contractibus et delictis, ut alia praetermittam institutorum legunque exempla, quae diligenter conquisiverunt de Juris Romani historia scriptores. — Inter utrumque vero genus fines accurate regere frustra sane conaremur: istis quippe temporibus atque in ejusmodi civitatibus, quales antiquitus obtinuerunt,

(4) Egregia est de hoc argumento scriptio viri celeb. H. E. DIRKSEN, *Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik u. Herstellung des Textes der Gesetze der Röm. Könige*, in opere: *Versuche zur Kritik u. Auslegung d. Quell. d. Röm. Rechts.* Leipz. 1823, in disput. VI. p. 234 sqq.

nondum bene distinctae erant singulae publici regiminis partes, tum vero, quae nobis quidem argumenta censentur inter se diversa iuris publici aut privati, ad suum quodque genus facili satis distinctione referenda, ea apud veteres arctissima quadam publica necessitudine erant coniuncta, et communi adeo continebantur vinculo; nimirum sacro: cujusmodi iuris et sacrorum intima coniunctio, uti neque apud alios veteris memoriae populos quemquam facile latere potest, ita inprimis apud Romanos conspicua est; quippe quibus nulla fere vitae sive publicae sive privatae pars vacaverit a religionis et sacrorum observantia (5). Sic e. gr. ex Romuli institutis ad rem sacram referenda, quae de auspiciis ipsi constituenda visa sunt, neque minus tamen ea cum religione necessitudo in oculos incurrit in iis, quae de nuptiarum ritu ab eodem Rege constituta esse traduntur, atque in sanctione, qua patroni erga clientem officia obstrinxerit: bene multa inprimis Numae placita de religione ac Deorum cultu, de spoliis opimis, de sacerdotum generibus atque officiis variis, de funerum sumtibus ac sepulcrorum iure, de tempore luctus, de finibus agrorum sollicite curandis, caet. Pauca haec obiter attigisse suf-

---

(5) Cf. cons. J. DE BAS, *de vi religionis in Ius Romanorum Civile usque ad Constantini M. tempora.* L. B. 1831, p. 6 sq.

ficiat, ut appareat, quî factum sit, ut in antiquissima iuris conditione ea iam religionis ac negotiorum vitae civilis constituta sit necessitudo, ut sponte quasi Pontificibus aperiretur via ad auctoritatem suam cum in regundis plerisque vitae partibus stabiliendam, tum vero maxime in iure dicundo.

Neque tantum iura dabant et constituebant reges: ipsum quoque iudicis officium eorundem esse censebatur; quod initio quidem facili satis negotio expediebant in ista civium paucitate negotiorumque, de quibus incidere possent controversiae, summa simplicitate; paulatim vero, cum sub Rege uno, qui et sacerdos esset et belli dux et iudex, omnibus hisce officii partibus vix aut ne vix quidem commode satisfieret, ipsa rei necessitas postulasse videtur, ut nonnulla certe cum aliis communicarentur. Enimvero nihil tam regale putabant tunc temporis quam explanationem aequitatis, in quo iuris esset interpretatio: quod ius privati petere solebant a Regibus. Nec vero quisquam adhuc privatus erat disceptator aut arbiter litis, sed omnia conficiebantur iudiciis regiis (6). Attamen crescentibus muneris Regii cum vitae cultu officiis, nonnulla aliorum curae diligentiaeque erant permittenda. Itaque admodum verosimile, ipsos haud raro cognoscendi iudicandique potestatem in causis sive publicis sive pri-

---

(6) Cic. *de Rep.* V. 2.

vatis communicasse cum senatoribus, neque est, quod fidem denegemus testimonio scriptorum, qui Servium Tullium, reservatis sibi criminibus, quae ad rem publicam pertinerent, caeteras civium querelas privatis iudicibus permisisse narrant; qui tamen secundum normam ab ipso constitutam ius dicerent (7).

Hinc subinde aliis via aperta et necessitas imposita leges regias atque consuetudines forenses, quales in iudiciis Regiis se paulatim explicuissent, addiscendi. Quae vero non in eam partem accipi velim, ac si contenderem, iam sub Regibus certa quaedam iacta esse fundamenta negotia iuridicialia tractandi, eaque ita more ac consuetudine confirmata pro constanti ac perpetua norma invaluisse, ut ne Reges quidem ab hac possent deflectere; (talia forte introducere in animo habuit Servius, cujus popularia admodum consilia celebrant veteres); attamen, etsi haud praeclare quidem sentiendum videtur de antiqua illa litium componendarum via ac ratione, quis quaeso dubitaverit, quin per ducentorum et quod excurrit annorum spatium, cum in negotiis contrahendis, tum in causis forensibus quaedam saltem obtinuerint, sive secundum leges latas, sive ex moribus populi profecta, quae in iurisdictionem adeo perpetuam abierint, et plerumque certe

(7) Dionys. halic. II. p. 86, 87. III. p. 228 sq. Cf. de bas l. l. p. 7.

observarentur: e. gr. usus aeris et librae in rerum commerciis, et sacramentum in contentione iuridiciali, ritusque cum hisce et similibus negotiis coniuncti. Quis enim credat, horum omnium auctores sive inventores haud ita diu post solos exstitisse Decemviros.

Quid vero huius rei sit, iam tunc temporis ita se explicuerunt Iurisprudentiae fontes, ut leges, civium memoriâ et usu conservatas, dum a Regibus eorum quae constituta essent haberetur reverentia, tandem in unum Codicem colligere visum sit brevi ante Regalis imperii exitum, cum, Superbo omnia pro lubitu regere instituente, periculum immineret, ne optimorum Regum instituta legesque magis magisque negligerentur, atque ita in oblivionem abirent.

Operis auctor fuit Caius Papirius, Pontifex Maximus (8), idem, ut verosimile est, quem ex princi-

---

(8) Teste DIONYSIO HAL. p. 178. De Papirio, eius praenomine, aetate, operis argumento cf. RUPERTI, l. l. p. 56—61. SCHUBART, *de fat. Iurispr. Rom.* Exercit. I et II. § 35. J. G. HEINECCIUS, *Observat. histor. de iure Papiriano*, in *Opusc. minor.* Amst. 1738. p. 1 sqq. F. C. CONRADI, *praef.* ad *Praetermissa* BYNKERHOEKII, apud UHLIUM, l. l. p. 220 sq. BACH. *Hist. Iur.* L. I. C. I. Sect. 2. § 6, 7. C. F. GLÜCK, de *Iure Civ. Papir.* in *Opusc. Iurid.* fasc. II. Erlang. 1786. p. 4—258. DIRKSEN, l. l. p. 280 sq. S. W. ZIMMERN, *Gesch. d. Röm. Privatr.* Tom. I. p. 86—90. Z. SALVERDA, Disp. *de Iure Civ. Papir.* Gron. 1826. TYDEMAN, l. l. p. 15, 16.

palibus viris sub Tarquinio Superbo fuisse scribit POMPONIUS, in L. 2. D. de O. I. § 2 (9). Id privatim confectum esse ipsa temporis ratio declarat; sed quamvis igitur laudabili sane consilio Superbo regnante inchoatum, posteaque in publicos usus editum sit, idem evidentissimo esse possit argumento, quantum adhuc in tenui, ne dicam, infimo loco versaretur iuris scientia; imo paene dixeris, POMPONIUM (10) quasi veritum, ne quis ex magnifico satis *Iuris Papiriani* titulo eximium quid Pontificem confecisse crederet, prudentem significasse, non tantum nihil quicquam de suo illum adiecisse, sed leges prorsus uti essent latae composuisse in unum. Non iuvat quidem repetere varias de Iure Papiriano disputationes (11): cum vero supra meminerim ne-

---

(9) Multi fuerunt in hoc quoque Pomponii locó explicando vel emendando viri docti. Vid. SCHULTING. et SMALLENBURG. Not. ad Pandect. t. I. p. 33. (5). Animadverti insuper meretur conjectura doct. EINERT, in *Exercitat. de Papirio et Iur. Papir.* (praes. cl. RAU, Lips. 1798) p. 38 sqq., qui existimat, Papirium a Prisci ad Superbi aetatem vitam trahere potuisse, et septuagenarium adeo legum hanc fecisse collectionem; vereor tamen ut vel sic quoque res sit expedita, neve nimia fere dicenda sit diligentia eruditorum in loco a descriptore corrupto collocata.

(10) L. 2. § 2. D. *de O. I.*

(11) Vix tamen mihi tempero, quin quae contra vulgarem sententiam de Iure Papiriano haud diu post Reges ejectos composito disputat cl. DIRKSEN, in opere laud. p. 236

cessitudinis, quae sponte quasi omne Ius Civile cum religione ac sacris coniungeret, non prorsus ab hoc loco aliena videtur disquisitio de universo huius collectionis argumento. Nimirum iam dudum inter ICtos agitata est quaestio, utrum omnes leges Regias an vero sacras tantum complexa fuerit. Si vero cum BACHIO (12) aliisque dicamus, Papirium in sacris tantum legibus colligendis unice fuisse occupatum, sive iis, quae ad religionem cultumque Deorum pertinerent, quid tandem fiet testimonio POMPONII, qui non tantum admodum perspicue et accurate contrarium enarrat, verum etiam continuo subiungit: »exactis dein Regibus lege Tribunicia, omnes »has leges exolevisse;" quod si ad solas leges sacras referendum sit, sanequam difficillimum est ad intelligendum, quomodo imperium Regibus ademtum hujus rei causa necessaria exstiterit. Praeterea quis non videt appellationem Iuris Civilis vix convenire in librum, qui nil nisi leges ad sacra spectantes complecteretur (13). Uti autem haec parum certe

---

sqq., hic loci refutem. In hisce enim solitam viri celeberrimi diligentiam et judicii acumen desiderare iure mihi videor. Miror etiam in eam inclinare ZIMMERN, l. l. p. 90, etsi non prorsus DIRKSENII rationes comprobet.

(12) BACH. l. l. L. I. c. I. Sect. 2. § 7, in cujus sententiam quoque inclinat HUGO, *Gesch. d. Röm. Rechts*, 11[e] Ausg. Berl. 1832, p. 109.

(13) Cf. TYDEMAN, l. l. p. 16. Me tamen judice non

commendant illorum opinionem, qui Ius Papirianum pro mera legum sacrarum collectione rituumque sacrorum descriptione habeant a Pontifice concinnata, ita quoque argumenta, quibus utuntur, nihil sane conferunt ad refutandum POMPONIUM. DIONYSIUM quidem citant HALICARNASSENSEM, p. 178, idoneum sane auctorem, at vero hic de legibus locutus Numae sacris, ab Anco nepote instauratis, tandemque vetustate fere deletis, easdem post Reges expulsos in usum revocatas esse a Papirio scribit; et licet equidem cum iis faciam, qui hic quoque Historico ob oculos versari putent ius nostrum Papirianum, non

---

satis leges *sacratas* a legibus *sacris* distinguit. Prorsus enim et nomine et natura inter se diversas fuisse existimaverim. In illas convenit FESTI locus in v. *sacratae leges*, quem affert, et habendae adeo omnes, quibus qui quid adversus eas fecerint, sacri alicui Deorum essent cum familia pecuniaque, quarum exempla adtuli in Comment. *de Sacrif. expiat. orig. et causs.* Gron. 1837, p. 89, 90; leges vero sacrae Regum Romanorum, etsi non negamus aliquas eorum, e. c. legem Numae de terminis agrorum, sacratas fuisse, universe nihil aliud sunt, quam leges de sacris sive de religione et cultu Deorum. Neque de BACHII mente in loco cit. de Iure Papiriano iustam excitari posse dubitationem arbitror, utpote qui hic simpliciter leges sacras appellet, et alibi, nimirum in l. I. cap. 2. Sect. 1. § 1. (e) veram *legum sacratarum* notionem atque vim descripserit secundum ERNESTIUM in *Clave Ciceroniana*, in voce *sacratae leges* aliosque. Veterum locis huc pertinentibus jam accedit CICERO, *pro Tullio.* Vid. ed. BEIERI, p. 59, 61, et ed. ORELLI, t. II. p. 391.

tamen ullam apud DIONYSIUM deprehendo accuratam huius collectionis descriptionem: imo obiter eius meminit, et tacet reliquam operis partem, certe non negat, alia quoque Pontificem in commentarios retulisse. Tum vero graviter movet dissentientes peculiaris muneris sacri ratio, quo functus sit Papirius: quasi vero sola sacrorum cura penes Pontifices fuisset, neque universa temporum illorum, quaeque mox insecuta sunt, memoria evinceret Iuris Civilis et iustitiae administrationem sacris veluti intermixtam, eorumdem fuisse. Itaque facile largimur, cum publica tum privata sacra, ut ait LIVIUS (14), Pontificis scitis subjecta; ut esset quo consultum plebs veniret: ne quid divini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur; at simul in vitae civilis necessitudines ac domestica negotia, legibus qualitercunque ordinata, eiusdem summam exstitisse auctoritatem, contendimus. Porro Granii Flacci, Iulii Caesaris aequalis, liber de Iure Papiriano illis rem conficere videtur. Etenim et in L. 144 *D. de V. S.* et apud MACROBIUM, *Saturn.* III. 11. loca inde depromta evidenter ad rem sacram pertinent. Neque hoc praetermittunt, CENSORINUM, *de die nat. c. 3.* eiusdem Granii librum de *indigitamentis*, i. e. de ritibus sacris, memorare. — Num igitur idem est ac Ius Papirianum in L. 144 l.? Con-

---

(14) Liv. *Hist.* I. 20.

iiciunt quidem, omni tamen excidunt probatione. Sed fac porro Granium Flaccum, de religione avita sollicitum, ad ejus primordia respexisse, adeoque potissimum ad leges animum advertisse eius, qui Romanis sacrorum auctor perhiberetur, quaeque a Papirio olim inter caeteras leges regias essent descriptae, quidni inde occasionem arripere potuerit titulum operi inscribendi Iuris Papiriani, utpote ex quo libri sui argumentum praecipue petiisset? Quamobrem quid tandem probat, Granium Flaccum universum opus Pontificis Papirii sibi sumsisse illustrandum, neque ex hoc multa praetermisisse ad propositum suum minus accommodata. Argumenta illa, et similia, a celeb. JO. DAN. RITTERO allata ad HEINECCII *Historiam Iuris* I. § 17., haud levia quidem esse apparet, me judice tamen ea feliciter et prorsus refutavit eruditissimus GLÜCKIUS, in opusc. laud. p. 187—199. — Denique gravissima quidem nonnullis superesse possent dubia propter ipsa legum Regiarum fragmenta, quae nobis ex veterum scriptis innotuerunt, utpote quae tantum non omnia ad sacra pertineant, vel certe cum religione conjunctae videantur: sed ne dicam, admodum credibile esse, civiles Servii Tullii leges de contractibus, in usum revocatas a primis consulibus, similesque magnam partem in ius recentius XII Tabularum migrasse, (quo factum sit, ut non tam sollicite ad originem earum Regiam postea attenderint,) summam illam Iuris Civilis cum

sacris ac religione conjunctionem lubentes agnoscimus, quippe ex temporum illorum vitaeque quasi civilis pueritia explicandam; neque nobis adeo mirum accidit, postea cum Iuris Civilis antiquissima capita jam dudum cum recentioribus coaluissent, in summo adhuc pretio atque honore habitas fuisse leges, quae sacra avita religionemque proavorum declararent; unde explicandum sit, quod qui ritus illos illustrare cuperent de re et antiquitate sacra scriptores, et Grammatici quoque obsoletorum verborum vim et potestatem explicantes, effecerint, ut huiusmodi potissimum legum regiarum reliquiae ad nos pervenerint (15).

Itaque, me judice, non est quod dubitamus, quin Ius Civile Papirianum omnes continuerit leges Regias; ea vero collectio et postea praebuerit utilitatem, cum ex ea nonnulla in XII Tabulas videantur translata, imo vel diu etiam postea iuris antiquioris

---

(15) Quamquam vero existimamus longe maiorem partem iuris regii sive ad sacra pertinuisse sive cum religione arcte fuisse conjunctam, nulli tamen probamus CUJACII conjecturam, cui etiam calculum suum adjecit HEINECCIUS, in *Hist. Iur.* l. § 16; scilicet in libro demum VI° Juris Papiriani leges civiles, in caeteris leges sacras descriptas fuisse: quippe quae infirmo admodum nitatur fundamento, et a RITTERO aliisque refutata sit. Cf. quique ZIMMERN, l. l. p. 88. not. 7.

placita, ad quae provocandum esset, inde depromta esse credibile sit (16).

Haec de Iuris Civilis Romani initiis, quoad quidem hujus rei in tanta antiquitatis obscuritate secundum veterum narrationes colligere liceat: haud minor profecto est dissensio inter eruditos de iuris conditione post reges exactos. Nempe sunt qui putent, statim quoque legum Regiarum cum ipso eorum imperio auctoritatem cessasse, quique in hunc sensum accipiant POMPONII verba in L. 2. § 3. D. de O. I. (17). In quorum sententiam tantum abest ut discedam, ut contrarium mihi plane evincere videantur cum Iuris Papiriani historia, tum testimonia historicorum de legibus Regiis post expulsum

---

(16) Vid. BACH. l. l. l. I. cap. 2 Sect. 2. § 9. ZIMMERN, l. l. p. 87, 90.

(17) Ita cum nonnullis ex antiquioribus etiam nunc Pomponii § 3. interpretari videtur cl. WACHTER, *Gesch. d. Röm. Rechts.* Bonn 1834, t. I. p. p. 426, quamvis merito in dubium revocet ICti testimonium ita intellectum. Mihi vero ita prorsus non accipi posse videtur, et hic certe omni reprehensione vacare Enchiridii auctor. Ita quoque A. STEGER, *de lege Tribunitia et inde nato incerto Iure.* Lips. 1736, p. 32 sq. J. LUZAC, *Observat. Apologet. pro ICtis Roman.* L. B. 1768, p. 6. GLÜCK, l. l. p. 170 sq. ZIMMERN, l. l. p. 87. not. 11. Neque aliter cl. MACIEIOWSKI, in *Opusculorum Sylloge*, Varsaviae edita 1823, p. 126: hic tamen latius procedit, et ne exolevisse quidem illas dici posse contendit.

Tarquinium in usum revocatis, quin et ipse huius loci Pomponiani contextus. Etenim *exolevisse* ait leges Regias, et ipsum adeo, quo utitur, vocabulum satis demonstrat significare voluisse ICtum, easdem in desuetudinem paulatim abiisse. Itaque non opus est, ut ICtum hic ob oculos habuisse dicamus necessariam quamdam sequelam exitus regalis imperii. Nam licet omnino agnoscamus, hanc illorum temporum opinionibus consentaneam videri posse (18), adsunt tamen diserta veterum testimonia, quae statim post Tarquinium expulsum nonnullas Regum leges a consulibus instauratas esse docent; et potius adeo existimaverim, felici illo reipublicae tempore, quo commune adhuc tyranni odium utrumque ordinem occuparet, quumque, ut ait CICERO (19), in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur, dum igitur sibi adhuc constaret inter cives concordia, nullas magnopere querelas de iniquo iure moveri potuisse, Patribus adhuc prudenter leges et mores servantibus; verum tandem Patriciorum superbia, arbitrium ipsorum iuridiciale eo processisse, ut inter exempla probitatis et iniuriae fluctuaret iurisdictio; quocirca

(18) Cf. cl. J. VAN HALL, in censura Historiae Iuris Romani, auctore MACIEIOWSKI, in *Bijdr. t. Regtsgel. en Wetgev.* t. I. p. 248 in f.

(19) Cic. *de Rep.* II. 32.

mirum sane nemini videri possit, tandem plebeios incertam hanc iuris conditionem pati diutius noluisse, sibique petiisse legas certas et aequas omnibus (20).

Tandem igitur cum quadraginta fere annis elapsis magis magisque cessaret legum Regiarum usus, et per quatuor adhuc lustra incerto jure regeretur populus, atque teste DIONYSIO L. X. init. jus maxima ex parte constaret virorum potestate praeditorum praeiudiciis, et perpauca in sacris libris haberentur, quae legum vim obtinerent, graves illae inter patricios plebemque exortae sunt contentiones, e quibus, ut notum est, superiores discesserunt huius defensores; quos nimirum pertaesos arbitrii Patriciorum haud bene suis finibus circumscripti, docuerat experientia »mentem et animum »et consilium et sententiam civitatis positam esse in »legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civita»tem sine lege suis partibus, ut nervis ac sanguine »et membris, uti non posse (21)." Legum itaque scriptarum expers populus isti malo mederi voluit,

---

(20) Haec igitur si teneamus, non opus erit explicatione BIJNKERSHOEKII in *Praetermiss.* ad POMPONIUM, verba § 3. *prope viginti annis* ita legentis: *prope VI gint. annis:* cum quod ICtus habet de incerto iuris statu sic referri possit ad quatuor lustra, quae XII Tabulas proxime antecesserunt. Vid. omnino GLÜCK, l. l. p. 171 sq. in not. 32.

(21) Verbis utor CICERONIS *pro Cluentio*, c. 53.

et vero a conatibus non ante destitit, quam sibi obtinuisset celebratum illud jus Decemvirale. Hoc autem utrum maximam partem e Graecia sit petitum, et Hermodori Ephesii operâ concinnatum (22), an partim Graeca sit, partim Falisca origine (23), an vero universum referat genuini Iuris ac moris vere Romani imaginem (24), non est quod hîc disquiramus.

Novum jam in hoc jure XII Tabularum positum erat civitatis firmandae adminiculum, illa saltem discordiarum face, ut videbatur, exstincta: ea vero lex pro parum provecta illorum temporum humanitate Romanorum arguere possit ingenium ad Iuris Civilis studia satis conformatum, quale id seriori aevo evidentissime sese prodidit atque explicuit. Itaque has leges per plurima saecula summa admiratione et honore habuerunt Romani; eaeque praecipua fundamenta fuerunt, quibus superstrueretur iuris civilis paulatim cum vitae cultu se explicantis aedificium; atque pro unico fere habitae sunt fonte, e quo diu postea Iuris Civilis addiscendi genuina peterentur principia;

(22) Ita praeceptor meus clar. S. GRATAMA, in *Orat. de Hermodoro Ephesio.* Gron. 1816.

(23) Ita SALMASIUS, *Praef. ad lib. de Foenore Trapezitico*, p. 66.

(24) W. A. MACIEIOWSKI, *Leg. Solon. et Decemvir. compar.* in *Opusc. laud.* p. 85 sqq. Cf. X. C. E. LELIÈVRE, *Comment. de Leg. XII Tab. patria.* Lovan. 1827, inprimis p. 136 sqq. COSMAN, *de origine XII Tab.* Amst. 1829.

aperta enim celebri illa legis Decemviralis scaturigine, abunde demum fluere potuit civilis Romanorum Iurisprudentia, antea tenuissima adhuc at perquam exilis (25).

Legibus vero XII Tabularum vixdum promulgatis, aliquid accidit, cui postea haud levia debuit incrementa Ius Civile, quodque adeo, cum in posterum quoque fontem addiderit novum, ad quem adplicarentur Iurisprudentiae studia, obiter attingendum est. Nimirum iam a U. C. 305, L. Valerio et M. Horatio Coss. factum est, ut plebiscita (26) generalem sortirentur auctoritatem; sive, ut » quod Tributim plebs » iussisset, populum teneret (27)." Patriciis tamen, omnem iuris potestatem sibi retinere cupientibus, et, ut verosimile est, istius legis placitum negligentibus eique se substrahentibus, postea iterum iterumque per contentiones rixasque civiles causae exortae sunt, atque adesse visa est necessitas idem nova rogatione constituendi. Nempe ita a. U. C. 415 Q. Publilius Dictator eandem denuo pertulit; tandemque a. U.

---

(25) Vid. praeceptoris aestumatissimi cl. PHILIPSE, *Orat. de juvenili Jurisprudentiae Romanae aetate, futuri vigoris ac praestantiae augurio felicissimo.* Gron. 1836, p. 8.

(26) Quorum secundum nonnullos primum, quod proprie huc referri possit, exemplum est in Lege Terentilla, a. 292 lata. Vid. ZIMMERN, l. l. p. 70.

(27) LIV. III. 55. Cf. DIONYS. HALIC. XI. p. 725.

C. 468 post tertiam plebis secessionem, lege Hortensia in perpetuum constitutum fuit, »ut quod ea »iussisset omnes Quirites teneret (28)." Itaque plebi via aperta ad legiferam potestatem: cum vero postea, uti videbimus, ad fastorum quoque cognitionem pervenisset, neque paucis amplius Iuris Civilis arcana reservarentur, quis miretur, Iuris scientiae per universum populum propagandae aliquid inde redundasse emolumenti? Quis miretur, altera harum legum latâ, »Plus eo anno domi acceptum cladis ab Consulibus ac Dictatore, quam ex victoria eorum bellicisque rebus foris auctum imperium, Patres credidisse? (29).

## § 2.

### *De Iurisprudentiae studii apud Romanos origine.*

Secundum ea, quae supra animadvertimus de Iurisdictione atque explanatione aequitatis penes priores Reges constituta, credibile est, neminem fere, etiam si aliqua prae caeteris dignitate et honore conspicuum, satis certam stabilemque Iuris Civilis scientiam sibi parare potuisse. Paulatim quidem cum illi

(28) Vid. PLINIUS in *Hist. Nat.* XVI. 10.

(29) LIVIUS, *Hist.* VIII. 12.

variis laboribus negotiisque implicati, sive cognitionem de levioribus delictis, sive etiam iurisdictionem (30) aliquando optimis gravissimisque civibus committere cogerentur, fieri aliter vix potuit, quin Patricii aliquam certe sibi acquirerent iuris cognitionem, ad cuius normam lites dirimerent: at vero istam valde ieiunam exilemque fuisse, neque Iurisprudentiae appellatione adhuc satis dignam, quisque facile perspiciet: constabat enim illa fere applicandis universalibus quibusdam principiis et monitis aequitatis, observandis formulis atque nonnullis solennibus, communi hominum opinione constitutis, ad vitae necessitudines adhiberi solitis, atque ad negotia quaedam, quae pro populi inculti atque vitae simplicissimae rationibus facile sufficiebant (31). Sed quaeri possit, nonne igitur ex lege Romuli de iure patronatus (32), cuius

---

(30) Non tamen iis adsentiendum videtur, qui ex loco DIONYSII, p. 87, patere arbitrantur, iam sub Regibus Iurisdictionem criminalem senatui competiisse: quod apparebit, si vel ad ipsum hunc auctorem adtendamus p. 627 de iudiciis regiis disputantem, collato CICERONIS testimonio *de Rep.* V. 2. Cf. DIRKSEN, *Civil. Abhandlungen*, Berl. 1820, t. I. p. 100.

(31) Cf. cl. HOLTIUS, *Hist. Iur. Rom. Lineament.* Leod. 1830, p. 18.

(32) Cf. hac re H. J. ARNTZENIUS, in *Observat. Syll.* in *Actis Literariis Societatis Rheno-Trajectinae*, T. I. p. 119 sqq. G. H. D. SURINGAR, *de patron. et clientel. ap. Rom.*

fragmentum retulit SERVIUS Grammaticus (33), iure merito concludatur, iam tunc a Patriciis iurisprudentiae operam esse navatam, cum illâ tenerentur patroni clientibus de iure respondere eosque in ius vocatos defendere; secundum DIONYSII HALICARNASSENSIS locum, ubi dicit: *τοὺς μὲν πατρικίους ἔδει τοῖς ἑαυτῶν πελάταις ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια, ὧν οὐκ εἶχον ἐκεῖνοι ἐπιστήμην, κ. τ. λ.* (34). Quamvis equidem negare nolim, huiusmodi officia patronis imposuisse Romulum, haud praeclare tamen sentio de iuris interpretatione, quam scilicet illi ex patronatus instituto clientibus fuerint impertiti; nimirum propter ipsam illorum temporum, de qua modo dixi, simplicitatem et exigua adeo ipsorum patronorum scientiae iuridicae praesidia: ita ut fere non assentiri nequeam STOCKMANNO, id accipiendum esse existimanti de ratione negotii alicuius rite suscipiendi, ne quid ei desit, aut in eo abundet, quod nullitatis, quam vocant, periculum afferre possit (35). Nolim vero propterea

---

*rat.* Gron. 1821, p. 28 sqq. R. H. EYSSONIUS WICHERS, *de patron. et client. Roman.* Gron. 1825, p. 41 sqq.

(33) SERV. ad VIRGIL. *Aeneid.* VI. vs. 609. Cf. TYDEMAN, l. l. p. 19.

(34) DIONYS. HALIC. p. 83. Vide quoque PLUTARCHUM *in Romulo*, p. 25, c. 13.

(35) STOCKMANN ad BACHIUM, I. 1. Sect. 2. § 9. Cf. quoque TYDEMAN, l. l. p. 19. 20.

omnem patriciis scientiam denegare: plebeiis hominibus hac certe peritia praestabant, quod Regias leges, linguae certae scripturaeque auxilio fere destitutas, aliaque ad vitae civilis usum maxime necessaria rectius intellexerint, siquidem clientes rerum publicarum plane rudes et in rebus maxime rusticis occupatos fuisse, verosimile est (36).

## § 3.

### *Pontificum in iure auctoritas.*

Ad Patricios igitur paulatim pervenit regimen ac moderatio quaedam Iuris Civilis, qui quantum hac in re debuerint auctoritati ac reverentiae Pontificum, ex illo ordine creari solitorum, non est profecto, quod multis demonstrem. Iam sub Regibus his quoque facilis patebat aditus ad leges aliaque, si quae exstarent actorum publicorum monumenta, quae, ut vero simile est, asservabantur in secretis Regiis; neque inepte aliqui coniiciunt, Pontificem Maximum (quo honore et ipse functus est Papirius,) quasi Regum, ac postea senatus populique, *archivarium* fuisse (37).

---

(36) Cf. WICHERS, l. l. p. 42. Vid. DESID. HERALDUS, *de rer. iudicat. auctorit.* l. II. c. 5. § 5 in OTTONIS *Thesaur. Iur. Rom.* t. II. p. 1177.

(37) Cf. G. SCHUBART, *de Fatis Iurisprud. Rom.* ed. TILLING, p. 129 sq., item GLÜCK, l. l. p. 49 sqq.

Praeterea ibidem repositi fuisse videntur *Regum Commentarii*, quorum, haud uno loco mentionem iniiciunt CICERO et LIVIUS (38): item *Annales Pontificum*, » quibus (uti ait TULLIUS) ab initio rerum Romanarum » usque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res » omnes singulorum annorum literis mandabat Ponti- » fex Maximus, efferebatque in album (39)," quos tamen dein et plebi inspicere licuit, ut patet ex ipsis CICERONIS verbis, addentis » Pontificem Maximum » tabulam domi proposuisse, potestas ut esset populo » cognoscendi." Illa vero aetate, de qua nunc agimus, non videntur Romanorum studia atque indoles eo magnopere tetendisse, ut legendi facultati omnis sese adplicuerit populus; utpote qui magis bellis vicinis gentibus inferendis quam literis delectarentur, cuique a civitatis primordiis quasi naturale fuisse dixeris principium

» Non sibi, sed toti genitum se credere mundo " (40).

Exactis vero Regibus illam sibi servarunt et amplificarunt potestatem: nam invalescens ipsorum arbitrium in iudiciis, cum rarior subinde evaderet legum Regiarum usus, Patriciis sponte praebuit opportunitatem, imo necessitatem imposuit, variis se iuris quae-

---

(38) Cic. *pro Rabir. perduell. reo*, c. 5. Liv. *Hist.* I. 32, 60. Cf. Liv. *Hist.* XL. 29.

(39) Cic. *de Orat.* II. 12.

(40) Lucan. *Pharsal.* II. 383.

stionibus exercendi, ut in tractandis vitae civilis negotiis suis et clientium commodis servire possent (41). Duodecim porro Tabularum iure condito magis magisque constitui coepta est quaedam forensis doctrina et interpretatio; quae rei gravissimae parva initia ita progrediente tempore sese exseruerunt paulatim, ut auctoritas prudentum tandem eximia facta sit Iuris Civilis pars: adeo quidem, ut illa incrementa haud ab ipso legislatore allata, verum a viris cum auctoritate tum prudentia caeteros in civitate superantibus, *κατ' ἐξοχὴν Iuris Civilis* nomine significaretur, cum nullus alius Iurisprudentiae Romanae fons parem haberet ubertatem, neque tanti in res domesticas ac iuridiciales esset momenti (42). Illis igitur legibus latis coepit, ut naturaliter evenire solet, interpretatio desiderari prudentum auctoritate, necessariaque esse disputatio fori (43). Increscente autem cum vitae cultu negotiorum et Iuris privati amplitudine, augebantur quoque patronorum officia clientium propugnandi iura et commoda; quae quidem officia tam late patebant, ut illi saepius tutoribus ac curatoribus, hi

---

(41) Cf. TYDEMAN, l. l. p. 19.

(42) Vid. HUGO, *Geschichte d. R. R.* p. 439 sqq. in edit. lat. Amstelod. p. 335.

(43) Sunt POMPONII verba in L. 2 § 5 D. de O. I., uti ea emendenda coniicit cl. SCHILLING, l. l. p. 123 sq. Aliter F. H. D'AULNIS DE BOUROUILL, *in Spec. de ICtis Romanis Iuris Civilis Conditoribus*. Gron. 1829, p. 4.

pupillis ac minoribus aequipararentur (44). Quid mirum igitur, multos ex Patriciis magis magisque sedulam Iurisprudentiae operam impendere consuevisse, ac tandem non suis clientibus solis iura explicare eorumque causas defendere, verum et aliis quam plurimis, quibus consilio atque efficaciore auxilio opus esset, doctrina sua et calliditate qualicumque forensi opem tulisse lubentes, inprimis cum ea res haud parum valeret ad gratiam favoremque popularem ipsis conciliandam (45). Ita factum, ut ad similitudinem pristini illius instituti quasi conformaretur postulationis ac defensionis forensis negotium, iique adeo, qui aliorum causas in foro peragerent, dicerentur *causarum patroni*, et vel simpliciter *patroni* (46), ut in illis AUSONII:

esto Patronus,  
Et defende reos: sed gratia rara clientis:  
Esto cliens, gravis imperiis persona patroni (47).

---

(44) Cf. ARNTZENIUS, l. l. p. 122. WICHERS, l. l. p. 44 et loci ibi all.

(45) Cf. WICHERS, l. l. p. 69.

(46) Uti testatur ASCONIUS in Divinat. ed. in 12. L. B. 1644, p. 20: qui defendit alterum in iudicio, patronus dicitur, si orator est; advocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico.

(47) AUSON. *Edyll.* XV. 40 sqq.

Neque vero summa illa religionis ac sacrorum coniunctio Pontificibus tantum auctoritatem tribuit in negotiis gentium ac familiarum domesticis regundis, sed ad stabiliendum sibi retinendumque imperium iuridiciale efficacissimum ipsis in promtu erat praesidium, quod kalendarii fastorumque cura sponte quasi praebebat. Uti enim antiquitus apud Aegyptios aliosque populos idem sacerdotum erat et aestimabatur negotium (48), ita quoque apud Romanos. Cum vero egregiam hanc, quam ipsa muneris ratio offerret, augendae in vulgus auctoritatis opportunitatem nequaquam praetermitterent, verum, ut temporum illorum historia testatur, et evidenter declarant quae in sequenti § erunt commemoranda, diligenter in ordinis sui commoda adhiberent, quid mirum, scientiam kalendarii caeteris civibus reclusam effecisse, ut nemo tutus ad litigium properaret, qui non ante de tempore ad agendum utili consuluisset Pontifices (49): etenim ex antiquitate notissimum, nefastis diebus nullum omnino efficaciter institui potuisse negotium forense, et declarant pervulgati illi versus poetae:

---

(48) AELIAN *Var. Hist.* XIV. 34, ad quem vid. PERIZON. not. 2. cf. GLÜCK, l. l. p. 197 sqq. in § 31, 32, et quas ibi not. 51 citat H. DODWELLI *Praelect. Camden.* in append. p. 661.

(49) Cf. BACH. l. l. II. c. 2. Sect. 4. § 2. Coll. c. 1. § 10.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;
Fastus erit, per quem lege licebat agi (50).

Quamobrem uti in interiorem necessitudinem familiarum et qualiacumqne Iuris Civilis placita Pontificum magna invaluit auctoritas, ita externus quoque Iuris status et negotiorum tractandorum forma ex eorum arbitrio non pendere non potuit, et facile adsentimur adeo POMPONIO scribenti, omnium legum et interpretandi scientiam et actiones apud collegium Pontificum fuisse, ex quibus constitueretur, quis quoquo anno praeesset privatis (51). Quod quidem institutum insignem eorundem prudentiam declarare videtur (52).

Denique inprimis quoque illae legis actiones, quarum iam meliorem notitiam GAJI debemus Commentariis Veronae repertis (53), quasque paucis commemorat POMPONIUS, ibid. § 6, ita Patriciorum imperium confirmarunt forense atque arbitrium in negotiis iuridicialibus, ut nemo ad litem bene gerendam

---

(50) OVID. *Fast.* I. 47. Cf. MACROB. *Saturn.* I. 16.

(51) L. 2. § 6. D. *de O. I.*

(52) Cf. Cl. SMALLENBURG in Adnot. 4. ad SCHULTINGII Not. ad POMP. l. l. *de O. I.*, inprimis GLÜCK, in op. saep. cit. p. 208 sq.

(53) Vid. GAJI *Comment.* IV. 11 sqq.

probabiliter instructus accederet, nisi consulto aliquo earum perito, quique hasce litigandi ambages prudenter adhibere didicisset. Universe vero dici posse videntur antiqua litigandi via ac ratio (methodum procedendi, quam vocant recentiores) secundum legem descripta haud diu post XII Tabulas promulgatas. Eae autem non tantum formulis constabant, sive solennibus verborum conceptionibus accurate in Iure pronuntiandis, sed et factis quibusdam, quae vitam moresque veterum Romanorum egregie declarant; uti GAJI locum citatum inspicientibus in oculos incurrit. A Patriciis compositae dicuntur, ut sibi negotiorum, quae in iure sive coram magistratu perfici oporteret, scientiam et procurationem reservarent (54); neque in re satis probabili repugno: itaque »ex legibus actiones sint compositae, quibus »inter se homines disceptarent: quas *ne populus*, »*prout vellet*, *institueret*, *certas solennesque voluerint* veteres (55).” Cavendum tamen, ne nimis late procedamus, omnia omnino artibus Patriciorum tribuentes. Enimvero postea quidem, cum experientia edocti Plebeii homines aegre paterentur difficultates et pericula ex arbitrio Patriciorum forensi enata, hi quidem pristinam sibi auctoritatem impense vindi-

(54) Cf. J. F. L. V. HASSELT, in *Spec. Inaug. de legis Actionib.* Gron. 1824, p. 134.

(55) POMPON. l. l. § 6 init.

care studuerunt: at illis adhuc temporibus, quibus primum descriptae legitimae disceptandi viae, in vitae civilis negotiis suapte prudentia regundis plane regnabant Pontifices, neque quisquam facile cogitavit de regno isto ex eorum manibus eripiendo. Tuti igitur omnia ordinabant, nec sane multum a verisimilitudine aberraveris, si et in quinque illis legis actionibus contentiosae quam dicimus jurisdictionis, et in aliis (56) ad illarum imaginem expressis, multum omnino valuisse existimes propriam quamdam Romanis gravitatem, et in negotiis tractandis caerimoniarum atque solennium studium; inprimis cum Iurisprudentiae symbolicae vestigia bene multa occurrant in antiquo iure aliorum quoque populorum, qui humanitatis cultu parum provecti sunt.

Quod vero ad tempus adtinet, quo legis actiones confectae sint, mihi quidem vix dubium esse videtur, quin veritati omnino consentanea sint, quae habet POMPONIUS in L. 2 § 6 l.: nimirum demum legibus XII Tabularum iam editis *ex iis actiones compositas esse.* Non quasi infitias ire cupiam, viae et

---

(56) E. g. in *in iure cessione*, quae similiter legis actio dicitur GAJO II. 24. item in Vatic. Fragm. § 49, ubi vid. de BUCHHOLTZ. Cf. E. DUPONT, *Comment. ad* L. IV GAJI (ed. L. B. 1822), p. 6, 10 sqq. GLÜCK, *Ausführl. Erläut. d. Pand.* t. XXX, p. 428 sqq. H. E. DIRKSEN, *Beyträge zur Kunde des R. R.* Leipz. 1825, p. 224. ZIMMERN, l. l. t. III. p. 85 sqq.

rationis agendi curam non habuisse Decemviros; nam contrarium evincit Tabulae I, II init. et III argumentum, uti a GOTHOFREDO concinnatum exstat; imo haud a verisimilitudine abhorret, ex iisdem nonnulla in Lege desumta fuisse ex more Decemviris longe antiquiori. Itaque hoc tantum contendo, in Lege XII Tabularum multa placita occurrere, quibus tanquam principiis superstruxerunt et veluti staminibus intexuerunt postea omne illud artificium legis actionum. Me judice adeo fundamenta sunt posita in Lege Decemvirali, operis perfectio et consummatio tribuendae ICtis (57). Postea quidem nonnullis plebiscitis actionum numerus auctus est, ut novi in certis causis litigandi modi, sive minus molesti, sive promtiores, introducerentur: verum, dum in foro vigebat ea agendi ratio, omnes sui dominii facere non destiterunt Patricii. In quo quidem negotio quin iis insigniter profuerit summa ipsarum legum observantia ac reverentia, non est quod dubitemus. Hunc certe colorem adhibitum esse, actionesque legum verbis prorsus accommodatas fuisse, docet GAIUS »et ideo immutabiles," ait, »proinde atque leges observabantur: unde eum, qui de vitibus succisis ita egisset, ut in actione vites nominaret, responsum est, rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare; eo quod Lex XII Tabu-

(57) Cf. tamen DIRKSEN, *Ubersicht d. bisherig. Versuche zur Kritik. u. s. w. d. Zwölftafelfragmente*, p. 102 sq.

larum, ex qua de vitibus succisis actio competeret, generaliter de arboribus succisis loqueretur." Quinque igitur illae diversae legis actiones, quas recenset GAIUS, quae nomen sortitae videntur ab eo, quod in illis praecipuum obtinebat, certe a nota aliqua, qua discernebantur a caeteris (58), iure merito pro insigni iuris antiqui parte habentur, quocirca ab eodem POMPONIO cum ipsis XII Tabulis, et interpretatione quae inde manavit, ad iuris referuntur cunabula, sive ea doctrinae iuridicae primordia, quae libro Tripartitis insignito complexus sit SEXTUS AELIUS Catus (59).

## § 4.

### *Ius Flavianum. Notae ICtorum. Pontifices Plebeii.*

Itaque non tantum in kalendarii cura principibus in republica viris eximium repositum fuisse praesidium ad frustrandos Plebleiorum conatus, magis magisque se variis publici regiminis partibus immiscentium, verum legis actiones efficacissima etiam fuisse instrumenta, quibus illi suam propugnarunt potentiam atque auctoritatem in foro, superiora, ni fallor, evidentissime demonstrant. »Es mag wohl seyn," ita

---

(58) GAJI *Comment.* IV. § 11 coll. § 30. Cf. WACHTER, op. l. p. 429.

(59) L. 2. § 38. coll. § 6. D. *de O. I.*

dubitanter celeb. HUGO (60), »das diese (die Pontifices) ein solches Mittel, das Volk in der Abhängigkeit von sich zu erhalten, sehr gern sahen, und der ganze Stand der Patricier, zu welchem sie damahls immer gehörten, damit übereinstimmte. Was aber nun eben so naturlich gewesen wäre, das die Tribunen darauf gedrungen hätten, dieser Abhängigkeit ein Ende zu machen, ein Bemühen, dessen Erfolg ja kaum hätte fehlen können, davon finden wir gar nichts." Verum enimvero, etsi cum illorum temporum opinionibus congruere videntur, quae vir celeberrimus porro disputat de populari reverentia et honore Pontificibus habito, *tanquam Iuris sacerdotibus*, propter ingravescentes tamen inter utrumque ordinem contentiones equidem dubitaverim, an plebeii homines ita prorsus in illorum auctoritate acquieverint, ut ab omni abstinuerint conatu horum arbitrium iuridiciale labefactandi. Quid enim? nonne Canuleium Tribunum plebis pro legibus suis de connubio communicando caeterisque adversus patres ita in concione disserentem inducit LIVIUS (61): »Ecquid sentitis, in quanto contemtu vivatis? Lucis vobis huius partem, si liceat, adimant: quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur.

(60) HUGO, l. l. p. 449.

(61) LIV. *Hist.* IV. 2.

Quin etiam (si Diis placet), nefas aiunt esse, consulem plebeium fieri. Obsecro vos, *si non ad fastos, non ad Commentarios Pontificum* admittimur, ne ea quidem scimus, quae omnes peregrini etiam sciunt. Probe quidem sentio, quid regeri possit: nempe sunt LIVII verba Tribuno talem tribuentis orationem, quae recentiorem redoleat aetatem, vix vero conveniat in legis Canuleiae haud ita diu post XII Tabulas perlatae tempora; attamen eiusmodi sunt, qualia credibile sit in ore habuisse Plebeios iis certe temporibus, vel paulo ante, quibus a Flavio aperta fuit via ad iuris Civilis arcana. Quid vero huius rei sit, egregie certe declarant studia, quae etiam de his Patrum artibus Plebeiorum animos occupasse, eventus docuit. Itaque »Veteres illi," ut ait CICERO (62), »qui huic scientiae praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae suae causa, pervulgari artem suam noluerunt; deinde posteaquam (ius) est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent." Qua de expositione cum minime constet inter eruditos, cumque ad nostri opusculi argumentum pertineat ea disquisitio, age in ea aliquantulum immoremur.

---

(62) CIC. *de Orat.* I. 41. Cf. SMALLENBURG, ad § 7 l. l., HUGO, l. l. p. 455 sqq., coll. tamen SCHILLING in censura laud. *Bemerkungen, u. s. w.* p. 124 sqq.

Fuit Cn. Flavius Appii scriba, patre libertino humili fortuna natus; caeterum callidus vir et facundus, medio fere saeculo urbis quinto ad Aedilis Curulis et Tribuni Plebis dignitatem (63) evectus (64). Contumacia autem adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certans, modum quaesivisse dicitur, quo Patriciorum vim ac potestatem deprimeret. Duplici igitur fraude usum esse, nonnulli statuunt, fastorum evulgatione, et actionum expositione. Nimirum cum antea, ex Appii voluntate, dies fastos accurate descripsisset, vel eorundem callide sibi quoque exemplar concinnavisse existimandus est, vel ipsius Appii hortatu hoc perfecisse (65), vel continuo usu et con-

---

(63) VALERIUS MAXIMUS l. IX. c. 3. n°. 3. similiter de *Praetura* ab illo gesta loquitur, ubi vehementem nobiliorum indignationem commemorat, cuius meminere LIVIUS et PLINIUS l. l. mox citandis.

(64) LIV. *Hist.* IX. 46. Quod utrum factum sit post arcana divulgata, an vero ante, non constat quidem ex hoc LIVII loco. Cf. HUGO, l. l. p. 451, 452, not. 4 et VAN HASSELT l. l. p. 141 sq.; ex aliis tamen illud probabiliter effici posse videtur. Vid. SCHILLING, l. l. p. 127 sqq.

(65) Haec vero sententia vero similior videri possit propter PLINII (*Hist. Nat.* XXXIII. 1.) testimonium, qui scribit »*cuius hortatu* exceperat eos dies, consultando assidue sagaci ingenio, promulgaveratque." POMPONIUS quidem (§ 7. l. l.) »*surreptum*" ait »librum populo tradidit": sed vid. SCHILLING, l. l. p. 126, qui recte, ut videtur, hoc ad actiones refert ab Appio compositas.

sulentium frequentia exercitatus illos sibi in memoriam revocasse atque edidisse (66). Utcunque vero de fastis, sive consentiente Appio, sive invito, a Flavio evulgatis sentiamus, actiones certe ab illo compositas et in qualemcunque ordinem redactas, fautoris sui familiaritate abusus, edidisse dicendus est, si fides POMPONIO, librum subreptum a Flavio populoque traditum enarranti. Itaque hi de legis actionibus commentarii ad Patriciorum arcana pertinentes aperti effecerunt, ut Civile Ius, hucusque repositum in penetralibus Pontificum (67), evulgaretur, ac praeterea fasti circa forum (68) expositi, quando lege agi posset, populo universo palam declararunt (69).

Etsi vero in hac de Cn. Flavio, Appii scriba, narratione, non omne dubium sublatum dici potest, quod nemini in re tam antiqua mirum accidet, factum tamen ipsum, quo plura respiciunt Veterum testimonia, universe saltem ex veritate expressum esse,

---

(66) Cf. DRAKENBORCH ad LIV. *Hist.* IX. 46.

(67) LIV. l. l. Cf. praeter loca all. GELL. *Noct. Att.* VI. 9.

(68) Similiter VALERIUS MAXIMUS: »fastos paene toto foro exposuit," II. 5. 2.

(69) Cf. HUGO, l. l. p. 451 et inprimis V. HASSELT, l. l. p. 138 sqq. SCHILLING l. l. Praeterea vid. J. VAN VAASSEN, *Animadv. ad fastos Romanorum sacros*, cur. C. SAXIO. T. a. R. 1785, l. I. c. 4. § 9 p. 140 sqq. BACH. l. l. l. II. c. 2. sect. 2. § 4. ZIMMERN, l. l. t. I. p. 418 sqq.

omnes facile admitterent, nisi gravissima oboriretur dubitandi ratio ex CICERONIS aliqua ad Atticum epistola (70); quarum insigne inprimis historico pretium statuit CORNELIUS NEPOS (71). Nempe notum est, Atticum diligenter Romanorum fastos scrutatum esse, et antiquissimam inprimis urbis historiam ad disquisitionem criticam revocasse (72). Hic vero, quum dubium obortum esset de tempore, quo fasti a Cneio Flavio essent promulgati, CICERONEM hac de re percontatus esse videtur, cum ipsa M. Tullii scripta huic quaestioni opportunitatem praebuissent. Iam respondet CICERO, ante Decemviros non fuisse Cn. Flavium Cn. F., quippe qui Aedilis Curulis creatus legatur, et magistratu adeo functus sit diu post Decemviros insti-

---

(70) Vid. Cic. ad *Attic. Epist.* VI. 1.

(71) Nep. in *Attic.* c. 16.

(72) Id enim haud obscure indicant CICERO, in *Brut.* c. 3, 4, et NEPOS, in *Attic.* c. 18: nempe Pomponium id maxime suscepisse, ut quo tempore memorabilia Romanae gentis facta obtinuissent, accurate cognosceret. Etenim ille omnia, quae requirebat, *explicatis ordinibus temporum*, uno in conspectu posita in illo opere se deprehendisse ait; hic nullam affirmat esse legem, neque pacem, neque bellum, neque rem illustrem populi Romani, quae non in eo *suo tempore* sit notata. Hinc facile suspicari licet, undenam de Cnei aetate oborta sit inter utrumque commercium literarum. De caeteris huiusmodi Attici studiis conferri meretur doct. J. G. HULLEMAN, *Diatr. in T. Pomponium Atticum*, T. a. R. 1838, p. 176—193.

tuto. »Quid ergo" ita pergit CICERO, »profecit, quod protulit fastos. Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis (73). Nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium scribam fastos protulisse actionesque *exposuisse* (74): ne me hoc, vel potius Africanum (is enim loquitur) commentum putes." Aliis praeterea interiectis, cum graviorem etiam notavit errorem historicum, addit: »o ἀνιστορησίαν turpem! — Nam illud de Flavio et fastis, si secus est, commune erratum est; et tu belle ἠπόρησας, et nos publicam prope opinionem secuti sumus." Itaque mirum non est, quod propter illa CICERONIS totam hanc *incertissimam* historiam dicant nonnulli, quin et commentitiam paene suspicari videantur (75). Cum vero CICERO non significaverit in hac epistola, quaenam Attico suo minus placuissent ex iis quae in sex de Republica libris de Cn. Flavio commemorasset, neque attulerit dubitandi rationes, equidem existimaverim, TULLIUM magis id

---

(73) *A Patriciis* vel *Pontificibus*, suspicatur HUGO, l. l. Refutat eum SCHILLING, *Bemerkungen*, p. 125. Cf. ORELLI not. ad h. l.

(74) Ita legendum puto cum cl. SCHILLING, ibid.

(75) Vid. LUZAC, l. l. p. 16 sq. in not. 2. Acriter inprimis vulgarem sententiam perstringit doct. J. CHRISTIANSEN, *die Wissenschaft der Römischen Rechtsgeschichte*. Alton. 1838, t. I. p. 300 sq. in adnot.

agere, ut se facete liberet suspicione, quasi tradenda pervulgata hac de Cn. Flavio historia simul quoque ratam habuisset eorum opinionem, qui in eius aetate constituenda gravissimo lapsi essent errore. Itaque hanc quidem a se avertere, de ipsius tamen facti veritate satis CICERONI persuasum fuisse. Quidni igitur TULLIUM secuti, narrationem facti, quod et L. CALPURNIUS PISO, GELLIO teste, in Annalibus retulit, et de quo consentiunt universe tot veterum scriptorum testimonia, nos quoque retineamus; inprimis cum nullam in se notam habeat absurdi, imo temporum habita ratione, in quae inciderit, haud a verisimilitudine abhorreat.

Praesidia igitur efficacissima, quibus Patricii et inprimis Pontifices auctoritatem sibi partam hucusque tuiti erant, plebi prodita huic viam aperuerunt ad Iuris Civilis arcana; et ita Ius illud Flavianum quasi inceptum ac praeparatio dici possit operis, quod perfecerit Coruncanius. Enimvero non est, quod existimemus, Plebeios sic statim Patriciorum experientia et calliditate forensi minus indiguisse. nempe instrumentis, quibus potiti erant, prudenter uti nesciebant; imo cum illa minus caute adhibendo causae suae facile nocere possent ac litem perdere, mirum sane non est, rerum forensium gubernationem ad Coruncanii saltem tempora penes Patricios magnam partem mansisse.

Accedebant nova legum placita, quibus agen-

di ratio antiquior prudenter erat accommodanda; neque profecto multum erraveris, si dicas, Patriciorum arte factum esse, ut huius rei difficultas et periculum insigniter creverit. »Illi quippe irati, quod sunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata et cognita, *sine sua opera* lege posset agi, *notas quasdam composuerunt, ut omnibus rebus ipsi interessent* (76)." De iisdem vero notis magna iterum inter eruditos dissensio. Ad rem pertinere nonnullis videbatur VALERIUS PROBUS (77), *de Inscript. et Literis Romanorum*, ubi scribit: » Apud Veteres, quum usus notarum nullus esset (ad) scribendi facultatem, maxime in senatu qui aderant scribendo, ut celeriter dicta comprehenderent, quaedam verba atque nomina ex communi consensu primis literis notabant. Et singulae, quid significarent, in promtu erat. Quod in nominibus, praenominibus, legibus publicis, Pontificumque monumentis Iurisque Civilis libris etiam nunc manet" (78); unde igitur huius loci Ciceroniani explicationem quaerendam putarunt. Alia vero

---

(76) Ita CIC. *pro Muraen.* c. 11.

(77) Quem Grammaticum inter suam aetatem praestanti scientia fuisse dicit GELLIUS, *Noct. Att.* IV. 7. init.

(78) VALER. PROBUS, c. 1 init. in *Thes.* MEERMANNI, t. I. p. 91. Cf. quoque HENR. ERNSTIUS, in *Observat. et Emend.* ad h. l. ibid. p. 155. Add. LUZAC, l. l. p. 21.

omnia sentiunt, et nostra aetate HUGO (79), et iam diu ante CAMERARIUS, ERNESTIUS, RITTERUS, et BACHIUS (80), censentes illorum sententiam de formulis iam a Patriciis per notas conscribi coeptis falsam esse, imo notas *componere* hoc CICERONIS loco significare ipsas formulas obscuras et contortas actionum, quas scil. concinnarint, ut Iuris Civilis possessionem recuperarent. Forte nimiam fere eruditionem illi viri praestantissimi huic loco CICERONIS adhibuerunt, quippe in quo totus est M. TULLIUS, ut ICtos rideat et explodat. Quare equidem paene suspicor, CICERONEM ibi haud serio locutum nihil aliud in animo habuisse, quam novas actionum formulas adeo arbitrarias, ut haud inepte notis vel siglis aequiparari, atque eodem igitur nomine insigniri possent: aut, si forte haec displiceat coniectura, facile me quoque in LUZACII traduci patiar opinionem, qui CICERONEM significare arbitratur, vulgatis a Cn. Flavio actionibus, ICtos, veritos ne sine sua opera lege posset agi, novas actionum formulas antea non adhibitas excogitasse et composuisse, *et illos has actiones siglis sive notis scripsisse* (81). Utcunque sit, hi conatus demonstrant frangi et labe-

---

(79) HUGO, l. l. p. 457 not. 3.

(80) CAMERAR. Not. ad CIC. *pro Muraena*, l. l. ERNESTI *Clav. Cic.* in v. *nota*, RITTERUS ad HEINECC. *Hist. Iur.* § 49, p. m. 99 sqq. BACHIUS, l. l. § 5.

(81) LUZAC, l. l. p. 22.

factari coeptam esse Patriciorum potestatem iuridicialem: in dies igitur magis vulgo innotescere potuit illud »Ius Civile per multa saecula inter sacra caerimoniasque Deorum abditum, solisque Pontificibus notum" (82).

Neque ita semel parte auctoritatis amissâ caetera sibi integra retinuerunt Patricii: nam collegio Pontificum, quod ex maiorum instituto constabat Patriciis, haud ita diu post ex Plebe etiam adlecti socii, cum lex perlata esset Ogulnia, sive plebiscitum a fratribus Ogulniis Tribunis pleb. rogatum (83), et quo totidem ex hoc ordine ipsi additi collegae, cum iam »Plebeiorum honoribus nihil praeter sacerdotia, quae nondum promiscua erant, deësset." Quam rem iuxta etiam aegre passi sunt Patres, quam cum Consulatum vulgari viderent. Simulabant tamen, ad Deos id magis quam ad se pertinere: ipsos visuros, ne sacra sua polluantur: id se optare tantum, ne qua in rempublicam clades veniat. Minus autem tetendere, assueti iam tali genere certaminum vinci (84).

---

(82) Valer. maxim. II. 5. 2.

(83) Brevi post fastos actionesque a Cn. Flavio evulgatos. Cf. bachius, l. l. II. c. 2. Sect. 1. § 22.

(84) Liv. *Hist.* X. 6 et 9, ubi ipsa Pontificum de plebe creatorum nomina recenset.

## § 5.

*De Iuris Civilis hoc tempore discendi ratione.*

In superioribus exponere conati sumus, quid hac aetate addiscere ICtum oportuerit, atque id quoque maxime egimus, ut, quibus scientiae illius sibi parandae fuerit occasio, ostenderetur; eo maxime consilio, ut quaenam hac in re ab iis inde temporibus, quibus Iurisprudentiae apud Romanos initia continentur, paulatim factae sint mutationes, accuratius cognosceremus. Verbum etiam addamus de iis, qui illa qualicunque Iurisprudentia inclaruerint, item de via, qua eam adsecuti videantur. Temporum tamen ratio declarat, vix aliquid certi hic constitui posse: itaque ad coniecturas confugiendum est.

Ante XII Tabulas, cum nulla adhuc exstaret disciplina, ad leges Regias animum advertisse Patricios, sponte patet; quarum quidem notitiam sibi comparasse iuvenes sua quemque consuetudine domestica, credibile est, patribus familiari sermone filios de illorum interpretatione certiores facientibus, ut necessario hi quoque patronatus officio aliquando fungerentur: quod similiter obtinuisse post legum collectionem a Papirio concinnatam, haud immerito dixeris. Iis autem, qui erant studiosissimi, Regum Commentarios, et Pontificum Annales perlegere et in suum commodum convertere moris fuisse videtur. Post vero legem Decemviralem promulgatam huic operam impendere oportebat prin-

cipes. Neque tamen omnes Patricios eandem diligentiam in Iuris scientia posuisse, manifestum est. Alii quippe legendi facultatem tenebant; alii literarum rudes ea tantum clientibus suppeditare poterant, quae ipsis memoria et rerum agendarum consuetudo praebuissent. Illi et antiqui sermonis popularis periti, nec Graecam linguam prorsus negligebant, neque Etruscum sermonem; cum non raro in hanc regionem nobiliores adolescentes discendi causa missos esse suspicari liceat: hi, nullo cum cultioribus gentibus commercio eruditi, peregrina vix curabant. Longe vero plurimi antiquis illis temporibus exili admodum, ne nullâ dicam, eruditione conspicuis domestico Lare detenti armorumve strepitu unice delectati, vel ipsa scribendi facultate et usu carebant, primario adeo omnis doctrinae adiumento et praesidio; neque ulli adhuc illa aetate memorantur grammatistae, vel alii praeceptores, qui Romae scholasticam curaverint institutionem (85). Attamen non est quod putemus, multos ex Patriciis hoc qualecunque Iuris Civilis studium plane neglexisse. Quippe sic certe parum existimationi suae consuluissent, et verendum fuisset, ne ad alios peritiores se converterent clientes; quod quin turpe censuerint viri gloriae studio inprimis ducti, non est quod in dubium vocemus: si qui-

(85) Cf. L. ROEDER, *de Scholastica Roman. institutione*. Bonn. 1828, p. 5 sqq.

dem etiam postea, uti nihil antiquius habuerunt, quam in vitae civilis negotiis multos adiuvare, et tali praesidio plurimorum sibi captare favorem, ita ignominiosum et turpe habitum sit, patricio ac nobili et causas oranti, ius in quo versaretur, ignorare (86). Id igitur ipsum, quod tanto studio sibi hanc iuris cognitionem retinuerint ac vindicaverint Patricii, atque inprimis Pontifices, argumento esse possit, mature inter nobiliores invaluisse eiusmodi aemulationem, qua alios hoc quoque nomine superare adniterentur. Patricios itaque iuvenes, praesertim qui magnae essent spei, ista doctrina iam hac periodo, inprimis per ultimum ipsius saeculum, a teneris probabiliter eruditos fuisse verosimile est; aderant responsionibus patrum audiebantque horum de difficilioribus iuris capitibus explicationes et consilia (87). — Si nomina quaeras, paucissima ex hac aetate historia praebet exempla; nec praeter Papirium ullius ICti mentionem factam invenimus, qui Regum tempore floruerit: reipublicae vero initiis nuncupantur nonnulli, qui Iuris tam Civilis quam Pontificii cognitione excelluerint. Inter eos POMPONIUS Appium Claudium Centummanum af-

---

(86) Cf. L. 2. § 43. *D. de O. I.*

(87) Cf. GIBBON, in capite 44 operis, cui tit. *Hist. of the fall a. decline of Roman Empire*, Germanice edito s. t. GIBBON's *Historische Uebersicht des R. R. a Cl.* HUGONE. Gött. 1789, p. 40.

fert (88), quem librum scripsisse tradit *de Usurpationibus* (89), et cuius nomen etiam in historia illa de Cn. Flavio occurrit; ac P. Sempronium, ita doctrina clarum, ut gentilitium acceperit cognomen σοφοῦ (90), inter primos de plebe Pontifices memorabilem. — Atque ita paulatim exorta dici potest Iurisprudentia apud Romanos tanquam doctrina quaedam peculiaris, quum nullum adhuc aliud disciplinarum genus ab iis coleretur: illam nempe ipsa necessitas quasi peperit, propter vitae civilis negotia ac necessitudines paulatim amplificata; maxime vero per continuas illas inter utrumque ordinem de iure contentiones aucta est, eique aliquis uberioris doctrinae cultus accessit.

---

(88) Cf. H. T. PAGENSTECHER, *de Appio Claudio Centummano.* Duisb. 1738. in *Triad. Diss.* p. 57—76.

(89) Idem fuisse hoc opus atque de *actionibus* putat cl. HUGO, l. l. p. 454 sq.

(90) Cf. J. CURTII *Εἰκαστῶν.* L. I. c. 28. Add. BACH. l. l. § 16, 17.

## SECTIO ALTERA.

### DE IURIS CIVILIS DOCENDI DISCENDIQUE RATIONE APUD ROMANOS A TIBERIO CORUNCANIO USQUE AD AUGUSTUM IMPERATOREM.

---

### § I.

*De fontibus iuris civilis adauctis universe.*

Inter varias hac aetate civitatis vicissitudines ut vitae civilis progredientis necessitates novas subinde adtulerunt iuris civilis amplificandi opportunitates, ita fontium quoque eiusdem insigni facta accessione uberior paulatim exstitit Iurisprudentia. — Pervulgata est recentior illa Iuris civilis distinctio, scripti et non scripti; quam licet tunc temporis nondum eadem significatione, et tanquam receptam enun-

ciationem artis sive disciplinae usurpasse videantur, adsunt tamen indicia satis manifesta, veteres quoque in fontibus iuris civilis generatim disponendis simili distinctione usos esse. Nempe CICERO in loco illo praeclaro (1) ubi de variis disputat et veluti dispersis adhuc notionibus perceptionibusque, quae ad unum aliquod scientiae genus pertineant, in artis formam redigendis, et quasi in disciplinae systema conglutinandis, Crassum inducit universam artem iuris ex summo huius fine sic describentem, ut sit »*legitimae* atque *usitatae* in rebus causisque civium aequabilitatis conservatio:"— quae sane verba ita merito a viris doctis accipiuntur, ut iuxta legislatoris voluntatem disertis verbis declaratam, pro iuris civilis fonte aeque efficaci morem agnoscere, sive consuetudinem, censeantur. Quare ad eadem duo summa genera fontes iuris universi hac aetate secundum oratorem revocari potuisse, non est quod dubitemus (2). — Diversorum autem fontium, ex quibus iam hac aetate Iurisprudentiae facta sit accessio, singulatim habita ratione, septem alio loco (3) idem TULLIUS distinguit, ubi »ius civile" dicit »id

---

(1) *De Orat.* I. 42.

(2) Conf. quoque ejusdem *Orat. Partit.* c. 37. Add. HOLTIUS, in *Lineament.* p. 78. HUGO, l. l. p. 369 sq. ZIMMERN, l. l. p. 52.

(3) *Topic.* c. 5.

esse, quod in Legibus, Sctis, rebus iudicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis Magistratuum, more, aequitate consistit." Quam enucleatiorem iuris in partes distributionem ita commode ad superiorem illam generum significationem adplicabimus, ut duas priores ad *legitimae* aequalibitatis conservationem (ius scriptum), ad *usitatae* vero (ius non scriptum) referamus caeteras. — Ab instituti vero huius rationibus cum alienum sit singulas accuratius persequi, imo vel eruditorum leviter perstringere in hoc antiquitatis capite varias dissensiones, universe sufficiat animadvertere paucitatem novorum fontium, ad ius civile vere ac proprie pertinentium. Enimvero etsi iam post tertiam plebis secessionem legemque a Q. Hortensio Dictatore perlatam, hoc in posterum impetrarunt Tribuni, ut plebiscita omnes Quirites tenerent, quocirca uno postea *Legum* nomine diversae illae rogationes occurrunt (4), nemo tamen illos facile hoc certe nomine graviter incusandos dixerit, quod subvertendis antiquis placitis condendoque novo iure civili potestate sibi facta abusi sint. Tantum enim abest, ut plebiscita de iure civili, quae ad hanc aetatem referri possint, civium saluti et commodis contraria videantur, ut contra in evidentem vitae civilis utilitatem rogata et in multis ea salutaria exstitisse credere liceat. Id vero

---

(4) Gellius, *Noct. Att.* X. 20.

in dubium vix revocari possit, legis Plaetoriae, Cinciae, aliarumque rationes adtendentibus. Atque, ut verbo dicam, numero quidem satis paucae fuerunt huiusmodi Tribunitiae rogationes, argumento vero atque in civilem et domesticam Romanorum vitam efficacitate uberes et graves. Quamobrem celeberrimum HEINECCIUM iusta haud vacare reprehensione putaverim, cum in *Historia Juris Romani* § 36 statum Iuris ad tempora Augusti aggressus de ingenti conqueratur legum hac aetate latarum copia (5), TACITI simul excitans verba *Ann.* III. 27: »Corruptissima republica plurimae leges." Quamvis enim nulli negemus, vel in optimo illo, quem tantopere celebrant veteres, reipublicae Romanae statu, periculosa corruptelae semina adfuisse, atque in innumeras adeo rogationes de publico iure, de civium pauperiorum conditione, similibus, TACITI convenire effatum, nimis tamen generales esse eruditissimi viri querelas, superiora, ni fallor, satis demonstrant; eaeque facile evanescent, si insignem Iuris Honorarii atque auctoritatis ICtorum amplitudinem et efficaciam in explicando iure civili comparaveris cum iuris privati capitibus ab ipso populo legislatore per suffragia sua constitutis. Itaque perpetuis licet partium studiis deque imperio concertatione misere

(5) Similem viri doctiss. animadversionem ad initium Institutionum merito carpit cl. HUGO, II. *p.* 374. *not* 3.

conturbata sit respublica, hac certe prudentiae laude conspicuus fuit populus Romanus, quod interiores et quasi domesticas civilis vitae rationes, non subito suoque plane arbitratu regundas emendandasque censuerit, verum plurima hac in re usui ac moribus paulatim explicanda reliquerit; cursum quasi progressionemque iuris moderantibus Magistratibus, penes quos esset iurisdictio, eandem vero doctrina et interpretatione adiuvantibus Ictis. Magistratus igitur consentiente populo huius rei curam susceperunt, et plerumque egregios se praestiterunt iurium consuetudinumque administri.

Ac primo quidem ipsa fontium iuris scripti paucitas hoc iis officium sponte videtur imposuisse; neque tamen exilioris adhuc iurisprudentiae temporibus, et dum eius scientia pro arcano recondebatur, magnam Ius Honorarium praestantiae et utililatis commendationem habere potuit (6). Cum vero in odium venerant paulatim legis actiones, et in iure atque iudiciis in multis causis successerat liberalior disceptandi ratio, talis certe quae magis ex ius dicentis prudentia penderet, ita latior subinde aperta est Iuri Honorario via.

Hanc vero diligenter persecuti sunt Praetores, quorum erat civilia in urbe negotia iurisdictione moderari. Itaque id primum agere instituerunt, ut ius

---

(6) Conf. HOLTIUS in *Lineam.* p. 79. in f.

civile, quale iam post XII Tabulas se paulatim explicuisset, adiuvarent, actionibus secundum eius tenorem mentemque concedendis; tum vero nullam praetermittere occasionem, quam lex aliqua recens perlata videretur offerre ad emendandum amplificandumque iuris statum, mitigandam inprimis antiquam legum severitatem, quam cultioris vitae ratio atque ad humanitatem progressio reprobassent.

Etenim, ut vere cl. ZIMMERN (7), in omni quidem populo deprehendere solemus quamdam in civilibus discrepantiam a simplicioribus illis placitis, quae naturalis ratio tanquam commune gentium ius apud omnes constituit, — et haec certe apud Quirites eo paulatim insignior exstitit, quo tenacius adhaerescere solebant principiis semel constitutis, quae adeo in explicando iure suo civili constanter servarunt; — attamen monente eodem, aliter vix fieri potest, quin, auctis cum peregrinis commerciis, horum quoque mores et instituta in civitatem penetrent; quae igitur si simpliciore atque utiliore commendentur ad usum vitae adplicatione, non possint non vim salutarem habere in ipsa peculiaria populi iura ad aequitatis normam prudenter regunda. Hanc autem apud Romanos efficacitatem omnino habuisse videntur ea iuris placita, quae Iuris Gentium nomine insignire solent Icti. — Nostrum quidem non est varias de vera iuris

(7) ZIMMERN, l. l. t. I. p. 48.

gentium in Iure Romano notione opiniones ad examen revocare (8), at prorsus tamen hunc uberrimum iuris non scripti fontem praetermittere non licet. — Quis vero miretur, crescente in dies peregrinorum in urbe frequentia, cum iam propter multa cum iis contracta negotia variasque inter ipsos vitae civilis necessitudines, necesse visum esset alterum constituere Praetorem, cui quaeso mirum accidere possit, hanc inprimis iuris dicendi rationem, ad simpliciora gentium iura accommodatam, bene multa quoque et utilissima adtulisse iuris capita, quae in usus suos converteret Praetor urbanus. — Nolim equidem contendere, temere illa et propter novitatis gratiam in perniciem antiquioris iuris civilis adscita esse, ita quidem ut huic plane alia quantum ad germana principia et fundamenta facies accederet, attamen non potuere non insigniter facere ad instruendam novis iisque utilissimis praesidiis iurisprudentiam civilem,

---

(8) Praeter cl. DIRKSENII scriptionem: *Ueber die Eigenthümlichkeit des Ius Gentium nach den Vorstellungen der Römer*, in *Rhein. Museum*, Tom. I. init. conf. patris optimi reliquiae doctrinae a successore editae, s. tit. *Inleiding tot de Wetenschap van het Europesche Volkenregt*, uitgeg. door C. STAR NUMAN. Gron. 1835. p. 143. sqq.; item cons. A. J. DUYMAER VAN TWIST in Comment. praem. ornat. *de peregrinorum in imper. Rom. conditione*, p. 21 sqq. in *Ann. Acad. L. Bat.* a. 1830—1831.

et inprimis egregie conducere ad summi iuris rigorem in multis temperandum.

Id vero Praetores edictis suis vere consecutos esse, notum est. Edicendi quippe more, a maioribus tradito, hi Magistratus et iurisdictionem ipsi suam tanquam lege perpetua regebant, et simul multa, prouti populi mores et vitae necessitates postulare videbantur, adiuvandi, supplendi, corrigendique iuris civilis gratia propter utilitatem publicam (8) inducebant. Ne autem quae per se *annua* essent, cessante imperio Magistratus qui utilissimae rei populo auctor fuisset, frustra in posterum desiderarentur, effecit tum successorum studium eadem conservandi placita, tum praestantissimorum civium comprobatio. Quo factum ut in tralatitium ius et in perpetuam fori consuetudinem abirent, atque ita paulatim auctoritate et commendatione quadam vetustatis effloresceret ius honorarium, ut idem vivam iuris civilis vocem et vocarent et aestimarent Iurisconsulti (9). Quae cum ita sint, quis miretur, idem illud ius maximam efficacitatem nactum esse in ipsa Iuris Civilis studia eiusque addiscendi rationem (10).

---

(8) L. 7. § 1. D. *de I. et I.*

(9) Vid. l. 8. D. eod.

(10) Cf. cl. A. C. HOLTIUS, Orat. *de Iure Praetorio* caet. Gron. 1821, in *Annal. Acad. Gron.* a. 1820—1821. p. 11. init.

Nempe »hoc pacto" hisce vero HOLTII v. cl. verbis hunc locum liceat concludere, magistratus illi *temporis decursu* novum ius condiderunt, ad procedentem humanitatem et ad aequitatis rationes conformatum. Quod ita fecerunt, ut populus nullas mutati iuris difficultates sentiret; tam facili via, ut postremo cum admiratione quadam intelligeretur, iam non ex XII Tabulis, sed ex Praetoris edicto iuris disciplinam hauriendam esse."

## § 2.

### *De ICti munere atque auctoritate.*

Ad Iuris Civilis fontes, quos in superioribus pro nostri opusculi rationibus strictim commemoravimus, accedit ICtorum auctoritas. Cuius quidem vis et efficacitas in universum civile ius, non ut antea ex reverentia Pontificum, atque ex ipsa eos consulendi necessitate unice pendebat, verum iam hac aetate repeti posse videtur ex meritissimo honore atque existimatione, qua habebantur praestantissimi quique cives grave hoc et liberale ICti munus obeuntes atque explentes. ICtorum enim operâ non tantum factum est, ut Iurisprudentiae Romanae doctrinae cultus accederet et paulatim sic quemdam artis colorem contraheret, verum iidem omnem curam sollicitudinemque eo impenderunt, ut tum in praxi iuridiciali, tum in variis vitae civilis, etiam domesticae, partibus quam

plurimis prodessent ope saluberrima et prudenti quadam rerum agendarum calliditate, qualem illi demum prae caeteris sibi comparare solent, qui in iudiciorum forique frequentia vitae negotiosae veluti tabernacula ponere gestiunt. Itaque mirum sane non est, ob magnam horum virorum prudentiae integritatisque commendationem, bene multa iuris capita ambigua adhuc et incerta sensim paulatimque communi civium suffragio pro iure recepta esse; et novam sic iurium scaturiginem apertam esse, quae in uberrimum fontem postea proruperit.

Varia autem quae ICti obibant officia trifariam considerari, satis constat: nempe apud CICERONEM Crassus illum vocat ICtum, qui legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate utantur, et ad *respondendum* et ad *agendum* et ad *cavendum* peritus sit (11); quod alibi idem iocose ita exprimit, ut urbanam vocet militiam, *respondendi*, *scribendi*, *cavendi*, plenam sollicitudinis et stomachi (12).

Atque huius quidem militiae primarium merito habendum officium quod *respondendo* explebant, quum omnibus in omni prope negotio pergratam utilissimamque suae prudentiae copiam facerent (13). In quo munere diligenter obeun-

---

(11) Cic. *de Orat.* I. 48.

(12) Cic. *pro Muraen.* c. 9.

(13) Bach. *Hist. Jur.* l. II. c. II. Sect. 4. § 9.

do id quoque vel maxime spectasse videntur ICti Romani, ut antiqui iuris principia a maioribus tradita constanter tenerent; in explicandis tamen singulis causis ad praesentia quoque civium commoda, vitaeque civilis et morum adeo paulatim a prisca severitate deflectentium, conditionem ipsa iuris placita, quoad eius fieri posset, prudenter accommodarent. Cum vero nullam facile, quae ad consociationem civilem pertineret, partem, et ne domestica quidem civium suorum commoda atque emolumenta ambitiose detrectarent, neque ob solas adeo causas forenses, de quibus controversia immineret, consulerentur, sed et quibusvis aliis, nemo non intelligit, quantum ea res ipsis conciliaverit et benevolentiae et auctoritatis. Denique non tantum singuli quique cives, de iure suo atque de utilitatibus vitae communis solliciti, ad eos confugiebant, sed et praeclarissimi viri, tum qui ad causas orandas accingerentur ac tenui nimis iuris peritiae suae non fiderent, tum iudices ipsi, qui in illorum doctrina certissimum sibi praesidium repositum arbitrabantur. Quam virorum frequentiam ad aedes ICti confluentium si animadvertamus, haud sane nimis magnifice

---

Frets, *Verhand. over het gezag der Regtsgeleerden bij de Romeinen*, Amst. 1822, p. 8. Holtius, de eod. argument. Ibid. 1822, p. 32 sqq. et in *Lineament.* p. 85. Hugo, l. l. p. 462 sqq. Maciejowski, l. l. p. 100 sqq. Zimmern, l. l. p. 196 sqq. Tydeman, p. 31 sq.

TULLIUM praedicasse putabimus, ubi sine dubio ICti domum totius esse scribit civitatis oraculum (14).

Altera officii pars erat in scribendo posita, quod generaliori vocabulo in alio loco (15) *agere* dicitur TULLIO (16). Nempe cum neminem ICtum lateat, quanta vel apud recentiores insint momenta actuum ac negotiorum civilium formis, quibus prudens illa munire solet legislator, *ne res temere* (ut poëtae utar verbis), *tractentur turbidae*, quis mirabitur, in universa prope Iurisprudentia Romana, praesertim antiquiore, quasi regnare summam earum curam, et nimiam fere observantiam: populus quippe caerimoniis belli domique mature adsuetus in negotiis quoque civilis vitae formulis ac definitis verborum conceptionibus etiam diu postea adhaesit: quod quidem studium haud scio an non aeque tribuere liceat plane singulari morum institutorumque avitorum reverentiae, atque pontificum artibus, solennia ista a rebus publicis ac forensibus ad vitae communis et domesticae negotia traducentium. Itaque cum in nulla

---

(14) Cic. *de Orat.* I. 45.

(15) Cic. *de Orat.* I. 48.

(16) Loci mutationem, quam vult ERNESTIUS, pro *agendum* ibi legere jubens *scribendum*, alii minus necessariam existimant; ita quoque V. ampl. FRETS l. l. p. 156, in adn. 4. Caeterum ad hoc ICti officium alludere videtur idem CICERO in *Epist. ad Famil.* VII. 14.

non vitae parte summa opus esset cautione et accuratione in concipiendis ac rite celebrandis negotiis tum iuridicialibus, tum caeteris, quae per facta solennia, et verborum formulas comprobatas essent perficienda, hinc in ICtorum quoque prudentia tutissimum sibi perfugium esse intelligebant. Atque hi vel huiusmodi verborum conceptiones et scripturas — quod nobis forte levius videri possit, neque eorum praestantia dignum — eadem diligentia iuxta ac gravissimas iuris controversias tractare solebant: quas igitur negotiorum formulas mori et constituto iuri convenienter subministrantes, uno et generali verbo *scribendi* officio fungi dicebantur (17). Id vero, tum in ipsis actionibus intentandis, tum in variis contractuum generibus, et inprimis etiam in testamentis iuris placitis accommodate condendis, obtinuisse videtur. Huc certe pertinent ea Crassi apud CICERONEM, quae ille se Scaevolae quondam dixisse narrat: »si nullum erit testamentum recte factum, nisi *quod tu scripseris*, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, *omnium testamenta tu scribes unus*" (18). Hinc iocose in eadem dialogo ab Antonio ICtus dicitur praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum (19).

---

(17) Cf. BACH, l. l. § 10. FRETS l. l. p. 9, 155, 197.

(18) CIC. *de Orat.* II. 6.

(19) CIC. *de Orat.* I. 55.

Tertia denique officii pars in *cavendo* censebatur posita: haec tamen cum superioribus intime erat coniuncta, adeo quidem, ut illae sine huius auxilio in multis frustra fuissent adhibitae. Propter sollicitam enim illam formularum rituumque observantiam, atque miram illam tenacitatem, qua ius suum civile lente et prudenter explicantes Romani antiquioribus placitis adhaerescere erant soliti, haud sane cuilibet licebat sine scrupulo, imo sine gravi periculo, procedere in rebus forensibus, vel quae cum civili vita erant coniunctae. Quare qui Iuris metuebant subtiliores nodos, consultum adire solebant, qui *caveret* ne inprudenter agendo sibi damnum inferrent, aut pararent in posterum (20). Nec tantum inserviebant huiusmodi cautiones civibus a iuris forensis laqueis defendendis, verum etiam adhibebantur contra singulorum in vita privata astutiam et fallaciam, qui improbitate et quavis machinatione in stipulationibus, venditionibus, locationibus, societatibus ineundis, caeterisve negotiis, alios irretire conarentur. Quas officii sui partes cum diligentissime exsequerentur, iurisque placita et principia in consultationibus illis quotidie fere in usum vitae

---

(20) Ad hoc ICtorum officium facete alludit CICERO, *Epist. ad Famil.* III. 1, ubi scribit ad Appium Claudium Pulchrum »L. Valerium, ICtum, valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est ICtus. Melius enim ei cavere volo, *quam ipse aliis solet*."

applicarent, mirum sane non est, iam hac aetate iuris civilis doctrinam vere practica ratione enucleari atque probabiliter constitui coeptam esse, et ad hoc adeo tempus iam referendas esse regulas sive recepta placita (21), quae complures veluti per manus ad posteros traditae sunt, et probabile veterum illorum studium et acumen in iurisprudentia egregie demonstrant.

## § 3.

### *De educatione ac scholastica Romanorum institutione.*

Ad ipsam iam docendi discendique viam pergentibus, qua hac Reipublicae aetate in studiis Iurisprudentiae usi fuerint Romani, ante omnia paucis inquirendum videtur in domesticam Romanorum educationem atque institutionem, ut qualem haec in illa vim habuerit et efficaciam cognoscamus.

Ac prima quidem disciplinae domesticae officia incubuisse matribus, quibus mariti liberorum educandorum curam commiserint, non est quod dubitemus. Itaque teneram pueri aetatem quasi in gremio ac sinu matris degebant, utpote cuius praecipua

---

(21) Conf. HUGO, l. l. p. 465 sqq. in not. 3. ed. Lat. Amst. p. 357 sqq. coll. SCHILLING, *Bemerkungen* caet. p. 130 sqq.

laus erat, tueri domum et inservire liberorum saluti atque commodis. — Praeterea eligi solitam fuisse, tradunt, aliquam maiorem natu de propinquis, cuius probatis spectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae suboles committeretur, coram qua neque dicere fas esset quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperaret (22)."

Atqui haec quidem commune dici possit iis temporibus officium maternum: uti autem quaeque praeclaris ingenii animique dotibus magis esset conspicua, atque haud vulgaris puerorum indolis sibi deprehendisse visa esset semina, ita quoque eadem impensius alere studuisse matresfamilias, quis, quaeso, in dubium vocaverit; etenim quidni probe intellexissent »magni interesse, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur" (23). Sic igitur Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos, accepimus (24).

Eximius igitur ex hoc educandi more haud redun-

(22) Ita fere auctor Dialogi *de causis corrupt. eloquent.* c. 28. Cf. ROEDER, l. l. p. 4.

(23) CIC. in *Brut.* c. 58.

(24) Auctor Dialogi l. ibid.

dare non potuit in puerorum animos utilitatis fructus ad praeclara quaevis pro patria suscipienda, atque in id nitendum, ut virtutibus etiam domesticis et rerum utilium scientia excellerent, ac civium suorum laudibus aliquando celebrarentur. Sic e. gr. ex Corneliae, matris Gracchorum, epistolis sibi compertum esse ait CICERO (25), filios non tam in gremio educatos esse quam in sermone matris; Tiberium vero »diligentia matris a puero doctum et Graecis literis fuisse eruditum" (26). Itaque mirum sane nemini acciderit, disciplinam illam ac severitatem eo pertinuisse, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas et sive ad *rem militarem* sive ad *iuris scientiam* sive ad *eloquentiae* studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret (27).

Pueruli vero mox paedagogis tradebantur, qui mature ipsos ad ludi magistros, ad tabernas literarias, quae praesertim in foro erant, ducebant (28): porro

(25) CICERO, l. l.

(26) CIC. ibid. c. 27.

(27) Auctor Dialogi l. cap. cit.

(28) Cf. TYDEMAN, l. l. p. 8. Equidem tamen capsarium, libros in capsa portantem, quorum usus discipulis esset necessarius, fuisse arbitror servum aliquem vilioris conditionis. Conf. D. T. GEVERS, in *Dissert. de servilis con-*

in scholam comitari solebant, unde paedagogi nomen in pedissequi abibat (29): ipsorum denique morum quoque gerebant tutelam (30). *Paedagogi* autem munere cessante, ut verosimile est, *custodes* adiungebantur, vel *comites*, quibus maxime videndum erat, ne pueri in παιδομανούντων insidias longe lateque structas inciderent (31): praecepta porro dabant moralia, item talia, quibus eruditionis in iuveniles animos elementa quasi instillarent, unde STATIUS:

bibe talia pronis
Auribus: haec certent tibi conciliare propinqui:
Haec iterent comites praecepta, senesque paterni (32).

Tunc vero iuvenum erat triplici incumbere disciplinarum studio, Grammatices, Rhetorices, Philosophiae. De hac postea erit agendi locus: de illis iam hic nonnulla animadvertamus.

Grammatices studium, quod olim Romae in usu non fuerat, quin et huius aetatis initio adhuc incognitum fuisse videtur, in urbem intulisse dicitur Crates Mallotes, » qui missus ad Senatum ab Attalo re-

---

*ditionis hominibus*, *artes*, *literas* et *scientias Romae colentibus*. L. B. 1816, p. 33. et ROEDER ibid. not. 10.

(29) Cf. ROEDER, l. l. p. 6.

(30) Cf. PLAUT. *Bacchid.* III. 3. 19 sqq. Paedagogos, custodes, comitesque, distinguit ROEDER, l. l. p. 6.

(31) Cf. ROEDER ibid. et cit. CASAUB. ad PERS. *Satyr.* V. 30.

(32) STAT. *Sylv.* V. 2. 60.

ge, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam ENNII mortem, cum in regione Palatii, prolapsus in cloäcae foramen, crus fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus, plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assidueque disseruit (33), ac Romanis exemplo fuit ad imitandum." Itaque carmina quaedam antiquiora cum Grammatices peritis legere instituerunt Romani. Sic apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato, LUCILII legebat satyras (34); et, postquam paulatim Grammatices studia essent exculta atque in honore iam haberi coepta, servi atque libertini ad hoc magisterium summo pretio emi conducive solebant. Sic v. g. Lucium Appuleium, quem multos erudivisse traditum est, ab Eficio Calvisio equite Romano praedivite quadringenis annuis conductum legimus (35). Veteres autem Grammatici et Rhethoricen docuisse, ac multorum *de utraque arte* commentarios exstitisse, narrat idem auctor, atque propter hanc consuetudinem factum esse existimat, ut postea quoque iidem, etsi iam discretis professionibus, vel retinuerint, vel instituerint ipsi quaedam genera institutionum *ad eloquentiam praeparandam*, ut problemata, ad lo-

---

(33) Ita SUETONIUS in libro *de Illustr. Grammat.* cap. 1, 2.

(34) SUETON. ibid. c. 2.

(35) SUETON. ibid. c. 3.

cutiones, similia, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri Rhetoribus traderentur (36).

Inter clarissimos vero Grammaticos hac aetate commemorantur Saevius Nicanor, Aurelius Opilius, Marcius Antonius Gnipho, alii: quos non pueri tantum, sed et viri probabilis famae audivisse feruntur: partim privatim aliena docebant in domo, partim in sua publice. Marcus autem Antonius Gnipho (Caesaris pueri praeceptor) adeo egregie docuisse fertur, ut eum clari quoque diligenter sectati sint viri (37): in quibus et Marcus Tullius Cicero, etiam cum praetura fungeretur (38); nempe qui eius scholam post laborem fori frequentabat (39).

Rhetorica vero, quamvis, ut res nova et praeter consuetudinem ac morem maiorum, primum SCto et post Censorum repulsa edicto (40), ipsa tamen sua praestantia, liberali certe ingenii oblectamento, adeo Romanorum studia occupavit, ut generosi iuvenes diligentem ipsi operam navarent, artisque huius praeceptores frequenter audirent. »Quare (uta it SUETONIUS)

---

(36) SUETON. ibid. 4.

(37) SUETON. ibid. 7.

(38) Cf. DIO CASS. *Hist.* l. XXXVI. p. 216.

(39) MACROB. *Saturn.* III. 12.

(40) Cf. GELLIUS in *Noct. Attic.* L. XV. c. 11. SUETONIUS, *de clar. Rhetor.* c. 1.

magno studio hominibus iniecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem Senatorum atque ad summos honores processerint. Sed ratio docendi, nec una omnibus, nec singulis eadem semper fuit, quando vario modo quisque discipulos exercuerunt" (41).

Pauca vero haec dicta sufficiant de iis educationis partibus, quae quasi viam pararent ad liberaliorem ingenii cultum, doctrinarumque quae ad humanitatem pertinere censerentur, cognitionem; pluribus eadem persequi iam vetat nostri instituti ratio (42).

Ita vero qualicumque eruditione tincti adolescentes, ad Philosophiam se conferre gestiebant, postquam transmarina haec doctrina in urbem penetraverat: neque hanc profecto omni caruisse fructu atque efficacitate ad Juris Civilis studia praeparanda atque ornanda, iam proximum est, ut exponamus.

---

(41) Sueton. in Libro l. c. 1.

(42) Qui plura velit, inspiciat praeter roederi opusc. l. b. v. d. velden, *de educ. et institut. ap. Romanos usq. ad Justinian. Imp.* Gand. 1821, inprimis p. 53 sqq. Schwarz, *Geschied. d. Opvoeding*, *vert. d.* j. klein. Utr. 1830. t. I. p. 557 sqq. f. hasenbalg, *Quid florentissimo reipubl. temp. populus Romanus in pueris educand nostr. inpr. aet. proponat. imitandi.* Putbus, 1836, p. 17—26.

## § 4.

### *De philosophiae studio apud Romanos ejusque in Jure Civili discendo efficacia.*

Apud Romanos iam diu Iuris civilis scientia in honore erat, et ICtorum exstabat disciplina quaedam pro temporibus probabiliter constituta, post Coruncanium inprimis laetius efflorescens, antequam sui desiderium excitaverant philosophiae studia. Neque id mirum. Practica quippe, quae illis in omnibus vitae partibus propria erat ratio, respuebat plane subtiliorem de rebus sublimibus ab usu vitaque hominum magis remotam disquisitionem: neque populus adeo, quem et indoles et politica conditio ab omni fere elegantioris doctrinae cultu cum humanitate coniunctae avocabat, facile sua sponte ad amplectendam illam morum emendatricem atque laudabilium artium disciplinarumque altricem ferri potuisset. Neque vero ratio, quam ad ius civile informandum et secundum antiquorum institutorum normam amplificandum adhibere consueverant, multum desiderabat abstrusiores illas philosophorum disceptationes; in populo scilicet, ad agendum quasi tum naturae stimulis, tum rerum externarum momentis concitato. Vitam illi veteres ipsam considerabant, atque ad varias, uti se in populo adolescente exserebant, partes ius suum adaptare adnitebantur, parum solliciti de

rerum, quae animo tantum et cogitatione comprehenduntur, natura atque opportunitatibus investigandis. Non tamen omnium animos a Philosophia plane alienos fuisse, imo hanc vel insignes sui amores peperisse, simulac id studii genus innotuisset optimis quibusque adolescentibus quibus liberalior contigisset educatio, mox patuit (43). Saeculo enim sexto p. U. C. ad finem vergente, cum oratoria arte simul urbem ingressa dici possit haec disciplina, cuius rei opportunitatem adtulit trium philososophorum ab Atheniensibus missa ad Senatum populumque Romanum legatio (44). Erant autem (ut GELLII (45) utar verbis) isti philosophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus: et in Senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio Senatore: sed ante ipsi seorsum quoque quisque ostentandi gratia magno conventu hominum dissertaverunt. Tum admirationi fuisse, aiunt RUTI-

---

(43) Cf. E. OTTO, in Orat. *de Stoica veterum ICtorum philosophia*, in eius *Dissertatt. Iuris publ. et priv.* Tr. a. Rh. 1723, p. 568.

(44) Cf. PLUTARCHUS in *Cat. Maj.* c. 22. qui Carneadem tantum ac Diogenem memorat. PAUSANIAS, L. VII. c. II. MACROB. *Saturn.* L. I. c. 5.

(45) GELLIUS in *Noct. Att.* VII. 14.

LIUS et POLYBIUS, philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam" (46).

Jam vero, quamvis per SCtum illud et edictum Censorum, de quibus in superiore diximus, morum severiorum vindices Romani id efficere tentarint, ut in posterum arcerentur a iuvenili institutione philosophi ac rhetores, et ita aliquamdiu saltem intermissa videantur recentis disciplinae studia, frustra tamen illa penitus exstinguere conati sunt; maxime cum haud ita diu post iidem viri ad summos in republica adscendissent honores, qui adolescentes Graecornm philosophorum auditores fuissent: cum vero Panaetius Rhodius Romam ventitaret, brevique amicitiam contraxisset cum Scipione, Laelio, Furio (47), subinde novus animos occupavit ardor, atque haud pauci ad illum praeceptorem confluxerunt iuvenes;

---

(46) J. BRUCKERI, *Histor. Philos.* t. I. p. 760 sqq. t. II. p. 8 sqq. J. G. SCHAUMBURG, *de Jurisprud. Vet. Rom. Stoica.* Jen. 1745, p. 78 sqq. J. A. ORTLOFF, *über den Einfluss der Stoischen Philosophie auf die Römische Jurisprudenz.* Erlang. 1797, p. 21 sqq. F. G. VAN LIJNDEN, *de Panaetio Rhodio.* L. B. 1802, p. 29 sq. J. MESSCHERT VAN VOLLENHOVEN, *de exigua vi quam philosophia Graeca habuit in efformanda Jurisprudentia Romana.* Amst. 1834, p. 11 sqq.

(47) CIC. *Tuscul. Quaest.* IV. 3. *de Orat.* II. 37. Cf. ORTLOFF, l. l. p. 28, 29. MESSCHERT V. VOLLENHOVEN, l. l. p. 15 sq.

quocirca mirum non est palam ipsos praedicavisse Philosophiae laudes, dicentes pergratum Athenienses et sibi fecisse et multis principibus civitatis, quod, quum ad Senatum legatos de suis maxime rebus mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem, et Critolaum, et Diogenem (48).

Varias vero inter philosophiae Graecae scholas Stoica Romanis, ICtis inprimis, quam maxime placuisse videtur. Etenim si »tantum inter Stoicos et caeteros sapientiam professos interesse, quantum inter mares et foeminas," cum SENECA dixeris: »cum utraque turba ad vitae societatem tantundem conferat, sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit (49)," haec sane Stoica disciplina Jurisprudentiae videri potuerit aptissima, quippe quae practica sua ratione eodem ICtos quotidie impelleret; nimirum ad laboriosum vitae genus, atque negotia civium suorum auctoritate sua ac prudentia bene gubernanda (50).

---

(48) CIC. *de Orat.* ibid.

(49) SENEC. *de Constant.* init. Cf. J. TERPSTRA, *de philosophia veterum ICtorum.* Franeq. 1767, p. 20 sq.

(50) Nec tamen nimia huic Stoicae disciplinae tribuenda est auctoritas in placita ac sententias ICtorum, quorum longe plurima ex propriis Romanorum moribus atque opinionibus profluxerunt et explicanda sunt. Vid. MESSCHERT VAN VOLLENHOVEN, l. l. p. 74 sqq.

Hinc clarissimi quique ICti hac aetate philosophorum Stoicorum exstiterunt auditores, et principes inter illos Panaetii (51) fuerunt discipuli. Inter huius sectatores memoratur P. Rutilius Rufus, quem ICtum eximium, Panaetii auditorem, *prope perfectum in Stoicis* vocat CICERO (52), quem idem refert »dicere solitum fuisse, ut nemo pictor esset inventus, qui Coae Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret, sic ea, quae Panaetius praetermisisset et non perfecisset, propter eorum, quae perfecisset, praestantiam, neminem esse persecutum" (53). Eiusdem discipulus nuncupatur vir summa virtute et prudentia Q. Aelius Tubero (54), vitâ severus et congruens cum ea disciplina quam colebat (55): eiusdem Q. Mucius Scaevola, ICtorum hac aetate princeps, qui, cum Praetor Rhodum venisset, et cum summo illo doctore disciplinae Oratoriae, Apollonio, ea, quae a Panaetio acceperat, contulisset, facetias magis, quam gravita-

(51) Cf. v. LYNDEN, l. l. p. 50—58.

(52) Cic. in *Brut.* c. 30.

(53) Cic. *de Offic.* III. 2.

(54) Cf. Cic. *de Orat.* III. 23. *L.* 2. § 40. *de O. I.* ubi pro *Pansae* nomine reponendum est *Panaetii.* Vid v. LIJNDEN, l. l. p. 51.

(55) Cic. in *Brut.* c. 31.

tem novi miratus est praeceptoris (56). Caeterum plures laudantur ICti, philosophiae studiosi: quos tamen pro nostri instituti rationibus recensere nil adtinet (57).

Pauca vero (cum de philosophorum agatur scholis) addere operae pretium sit de peregrinationibus studiorum causa a nobilioribus adolescentibus susceptis, ut ad omnem egregiae disciplinae laudem eniterentur; in iis maxime rebus, quae ad generosum civem ingenue ac liberaliter informandum conducerent: quorum studiorum causa, se quoque adolescentem mare transiisse meminit TULLIUS (58). Sic, ut Athenas taceam, commune quasi eruditionis emporium (59), quis ignorat, quanta hac in re nominis celebritate fuerint Rhodus, Apollonia, Massilia (60)? Scilicet, uti de Platone refert QUINTILIANUS (61), »cur in omnibus, quae discenda oratori, eminuerit, hanc fuisse causam, quod non contentus disciplinis, quas praestare poterant Athenae, non Pythagoreorum, ad

---

(56) Cic. *de Orat.* I. 17.

(57) Cf. ZIMMERN, l. l. I. p. 231 sq. Holtius in *Lineament.* p. 84.

(58) Cic. *Orat.* c. 42.

(59) Cf. G. N. KRIEGK in Diatribe *de peregrinat. Roman. Acad.* Jen. 1704, p. 14 sq.

(60) Conf. id. p. 51 sqq.

(61) Quintil. *Instit. Orat.* I. 22.

quos in Italia navigasset, Aegypti quoque sacerdotes adierit, atque eorum arcana perdidicerit," ita et quisque paterfamilias Romanus lautioris fortunae, antequam filium ICto alicui praeclaro adiungeret, ad celebrem mittebat, sive philosophum, sive oratorem, cuius scholis interesset (62): quam si forte adolescentibus liberalem instititutionem negasset fortuna, iam aetate provectiores sibi eandem, haud raro compensare studuisse, nonnullorum certe exempla demonstrant. Rhodi itaque praeclarissimi multi viri, postea et aliis et Iurisprudentiae laudibus insignes, docuerunt et didicerunt: inter illos Posidonius Apameënsis (63), Aeschines (64), Menippus Stratonicensis (65), Xenocles Adramyttenus (66), Apollonius Molo (67), et, quos primo loco nuncupare debuis-

---

(62) Sic Cicero filium Athenas misit; de quo optima qnaeque retulerunt Messala et Trebonius. Cf. CIC. *ad Attic.* XV. 17. ad Famil. XII. 16.

(63) Cf. J. BAKE, *de Posid. Rhod.* L. B. 1810, p. 13 sqq. KRIEGK, l. l. p. 45, sq.

(64) Vid. MAXIM. TYR. *Dissert.* 19. QUINTIL. l. l. XII. 10. Cf. KRIEGK, l. l. p. 43.

(65) Cf. STRAB. *Geogr.* XIV. p. 449. KRIEGK, l. l. p. 43.

(66) Cf. STRAB. ibid. XIII. p. 422. Vid. KRIEGK, l. l. p. 44.

(67) Cf. PLUTARCH. *Cicer. vit.* p. 862. QUINTIL. l. l. III. 19. XII. 6. Ipsum quoque Caesar audivit. SUET. *Caes.* 4.

sem, Aristippus Socraticus (68) ac Zeno (69): inter hos Cicero, Caesar, Pompeius, alii. Ita quoque Caesar Octavianum »pacatis bellis civilibus, ad erudiendum liberalibus disciplinis Apolloniam in studia misit" (70). Quod quantum ad erudiendos iuvenes Romanos effecerit, nemo non videt: neque est quod negemus, eiusmodi doctas peregrinationes futuris inprimis ICtis egregios tulisse fructus, cum eaedem urbes illae fuerint in Graecia, quae bonarum legum singularem habuerint famam; quare Strabo Apolloniam πόλιν vocat εὐνομοτάτην (71), Rhodiorum vero eidem θαυμαστὴ dicitur ἡ εὐνομία (72).

## § 5.

### *De Iuris Civilis docendi discendique ratione hac periodo ineunte. Tiberius Coruncanius.*

Quae hactenus disputavimus de fontibus Iurisprudentiae insigniter auctis, de ICtorum munere latis-

---

(68) Cf. VITRUV. *de Architect.* VI. praef. KRIEGK p. 42.

(69) Cf. DIOG. LAËRT. VII.

(70) VELLEJ. PATERCUL. II. 59. Cf. SUETON. in *Octav.* 9. DIO CASS. l. XLI. p. 174. XLIX. p. 271. Cf. KRIEGK, l. l. p. 47—50.

(71) STRABO, *Geogr.* VII. p. 219.

(72) Ibid. XIV. p. 448.

sime patente, et crescente adeo in vita civili eorundem auctoritate, de puerorum item educatione atque scholastica institutione variis iam praesidiis ornata, de philosophia urbem ingressa, ea igitur argumento esse possint, Iuris disciplinam, Romanis inprimis propriam, angustis vero scientiae finibus olim contentam, paulatim cum vitae cultu ita amplitudine crevisse atque existimatione in hominum vulgus, ut optimi quique eandem summo studio sibi appeterent. Cuius quidem scientiae docendae discendaeque ratio duplici se explicuisse videtur viâ; ad quam exponendam iam pergamus, respicientes adeo tum quae docebantur methodumque instituendi, tum vero eos quoque, qui discentes ad nobilissimam in Iure civili doctrinam enitebantur. Nimirum cum antea Pontifices, ut vidimus, consulentibus responsa dare soliti, iuvenes Patriciae originis adesse sinerent consultationibus, Tiberius Coruncanius caeteris quoque eiusdem rei copiam fecit, atque ita Themidis sacris initiari passus est: a quo igitur viro haud temere, novam incipere aetatem, statuisse mihi videor: quippe qui ad iuris cognitionem interiorem viam plebi quoque patefecisse, et Ius adeo Civile publice docuisse traditur (73). Vir fuit haud nobili natus loco, e Tusculano Municipio oriun

(73) Cf. BACHIUS, l. l. L. II. c. 2. Sect. 4. § 7.

dus (74), ad consulatus dignitatem ipse sua virtute evectus, tantum iudicii acumen cum insigni probitate coniungens, ut iis adnumerandus sit singularibus viris, quorum neminem, nisi iuvante Deo, talem fuisse, credendum sit (75). Plebs autem, uti supra expositum est, Pontificium iam obtinuerat munus: verum Coruncanio primo contigit, ut Pontifex Maximus crearetur. Ante eum, ait POMPONIUS (76), publice professum neminem traditur: caeteri autem ad hunc vel in latenti Ius Civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus vacare, potius quam *discere volentibus se praestabant.* Hic vero omnibus qui Iurisprudentiae operam dare vellent, nullo generis habito discrimine, sui audiendi copiam fecit (77): neque mirum adeo est, ab eo inde tempore nobilissimae huic doctrinae generi magnam diligentiam adhiberi esse coeptam, omnesque, qui studiorum suorum fiduciam haberent, etsi homines plebeios, de iure responsa dedisse, atque plebeio-

---

(74) Conf. CICERO *pro Plancio*, c. 8. Id. *pro Sulla*, c. 7. Gentem vero Coruncaniorum Camerio oriundam docet TACITUS, *Annal.* l. XI. c. 24.

(75) Cf. F. C. CONRADI, in *Orat. de Scholae Jur. Civ. Romanae fatis*, addita J. F. EISENHARTI *Institutt. Hist. Juris Literar.* Helmstad. 1763, p. 369.

(76) In *L.* 2. § 35. *D.* de O. I.

(77) Cf. HUGO, l. l. p. 460.

rum inprimis sibi conciliasse studia ac benevolentiam. — Cavendum tamen, ne publicae illi Iuris professioni, quam memorat POMPONIUS, tribuamus nimium, eamve cum publica omnium institutione confundamus. Etenim credibile non est, Coruncanium vel de infima plebe hominibus sui copiam fecisse, cum consultationibus vacaret: imo contra optimos quosque elegisse videtur de plebe adolescentes, quos ad iurisprudentiae studium aptos iudicaret (78), quosque eo perventuros auguraretur, ut parem aliquando et iurisprudentiae dignitati convenientem scientiam profiteri possent. Neque magis in hunc sensum accipienda POMPONII verba, ac si hancce studiosis opportunitatem Coruncanius in peculiarem docendi artem convertisset, plane diversam a superiori quae hactenus obtinuisset iuris discendi ratione: etenim diu etiam post iuris scientia non secundum scholae alicuius placita et formam addiscebatur, sed iuvenes viro docto tantum aderant, eumque de variis iuris capitibus responsa dantem audiebant. De illo vero nobis facile erit persuasum, et modo cum SCHRADERO v. cl. (79) probe attendamus,

---

(78) Cf. FRETS, l. l. p. 13. TYDEMAN, l. l. p. 25 sq.

(79) Cf. Cl. SCHRADER, in disp. *Coruncanius, der erste öffentliche Rechtslehrer*, in HUGONIS promtuario iuris, cui tit. *Civilist. Magazin*, t. V. p. 187 sqq. Vid. et MACIEIOWSKI, l. l. p. 102.

Coruncanium *primum fuisse Pontificem Maximum de plebe.* Nimirum cum superiori aetate ad Pontifices Maximos responsa dantes ii tantum admissi videantur, qui aut eodem munere functuri essent, aut magnae spei existimarentur iuvenes e patricia gente oriundi, iam Plebeius ille Pontifex omnibus ad haec sua responsa aditum patere passus est, i. e. tam plebeiis quam patriciis, et hoc pacto Coruncanius revera primus haberi possit, qui *publice* de Jure et negotiis ad ius pertinentibus mentem suam sententiamque aperuerit. Ex quo intelligitur, perperam nonnullos eundem primum Iuris doctorem, instauratorem, interpretem vocasse (80), idque nostra aetate correxisse celeb. SCHRADERUM, eum *primum* apud Romanos Iuris doctorem *publicum* appellantem. Nam qui contrariae favent opinioni, omni plane videntur destitui veterum, quo niti possint, testimonio. Institutionem illi iam tunc temporis volunt, sed institutionem prorsus peculiarem (81) quantum ad formam docendi: formam enim dialogi et tempori isti

---

(80) Ita e. gr. L. A. WÜRFFEL, *de Tib. Coruncanio, ICto Rom. divini humanique iuris instauratore et interprete.* Hal. 1740. laud. ap. ZIMMERN, l. l. p. 249.

(81) Cf. v. gr. quae acrius contra Cl. ZIMMERN, (sive, ut videtur, contra Cl. SCHRADERUM; nam huius sententiam ibi expressit ZIMMERNIUS) disputat doct. CHRISTIANSEN, l. l. p. 302, in adnot.

et disciplinae maxime accommodatam fuisse statuunt. Praeclare id quidem, modo aliquam afferrent rei probationem: nusquam vero legimus, iuvenes illos tanquam discipulos suas in dialogo interrogantium egisse partes. Erat, aiunt, institutio theoretica, cum praxi tamen intime coniuncta; cui nimirum singulae causae dubiae, uti quaeque ad Pontificem essent delatae, opportunitatem praeberent, disceptionique adeo locum faceret doctorem inter ac discipulos. Sic igitur Pontificem maximum habemus in summo dignitatis loco positum, variisque negotiis gravissimis distractum, in erudienda iuventute iuris studiosa occupatum, eorumque interrogationes prudenti responsione moderantem; neque magis civium consulentium res curantem, quam consultationes istas adhibentem, ut scilicet auditores intelligerent, quid in similibus quaestionibus, si quae moveretur in posterum, iuris doctrina postularet: imo ne totam quidem sic egregii viri curam satis laudaverimus; nam clientes vix admissi ad Pontificem nisi ipsos arcessentem, ut discipulorum institutioni eorum inservirent quaestiones, ne dicam de exercitationibus, quas praeterea obtinuisse, mirifice hic fingunt (82). Mihi vero vel sic

(82) » *Der Unterricht* (ita CHRISTIANSEN l. l.) *war absichtlich, weil in den Stunden, wo* TIB. CORUNCANIUS *als Lehrer auftrat, auch dann, wenn er ausser vielen andern Uebungen Clienten zu sich beschied, er das eben nur in der Absicht that zu unterrichten.*"

tamen caeterorum praestare videtur sententia, utpote temporum illorum simplicitati congruentior, neque in veterum hac de re silentio novas recentiorum opiniones cum moribus Quiritium confundens. Coruncanii igitur hoc nomine laudandam censemus liberalitatem, quod doctrinae iecerit fundamenta, certe fontem aperuerit, ex quo subinde per hanc periodum Iuris Civilis derivari potuerint pluribusque adeo innotescere ea, quae ad perficiendum ius civile consummandamque paulatim iurisprudentiam facerent; verum in ipsa docendi via ac ratione haud multum immutasse Pontificem Maximum.

## § 6.

### *De Iuris Civilis docendi ratione per universam hanc aetatem.*

Quod primus instituit Coruncanius, per universam id liberae reipublicae aetatem caeteri fere persecuti sunt, quicunque docendi partes cum gravissimis ICtorum officiis coniunxerunt: practica omnes usi videntur instituendi via, neque ulla, quod sciam, per hanc aetatem deprehenduntur certa vestigia doctrinae, quam vocant theoreticae, in informanda ad iurisprudentiam iuventute de industria adhibitae (83):

---

(83) Cf. ZIMMERN, l. l. p. 249.

» respondentes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore et discentibus satisfacerent, et consulentibus " (84).

Iam vero paulo copiosius nobis informemus huius Iuris doctoris imaginem, tum in foro causas agentis oratoribusque auxilium ferentis, tum domi responsa dantis. In foro ipsum comitabantur optimi quique iuvenes, neque ii tantum, qui perpetuo illi se adplicabant, verum etiam qui ex magna ICti fama eximium se percepturos augurabantur doctrinae fructum, ex causarum negotiorumque varietate, de quibus consultus enucleate solitus esset respondere; quippe in spem inducti, fore ut interrogandi respondendique rationes suopte quasi ingenio expiscarentur, ac mente comprehenderent, utque, quod in Dialogo saepius citato dicitur de eloquentiae studiosis (85), altercationes excipere, et iurgiis interesse, atque pugnare in praelio discerent (86). Similiter cum caussas agerent in foro Oratores, ICtumque adjutorem compellarent, apparet, quanto studio eo se contulerint adolescentes, ut explicationes et argumenta arriperent ac cognoscerent. Quanta vero tali ICto accesserit et auctoritatis et gratiae commendatio » cum quisque in subselliis occupatus esset

(84) Cic. *Orat.* 42.

(85) Lib. I. c. 34.

(86) Cf. TYDEMAN, l. l. p. 41.

locus, completum omne tribunal, corona multiplex" (87), non est, quod uberius demonstrem.

Insigniorem etiam doctrinae fructum iis capere licebat juvenibus, qui aderant consultationibus, quibus domi suae vacabant ICti; senes inprimis, qui, cum vitam, et in civium suorum salutem, et in haec studia impendissent, laborum jam sibi expetebant remissionem, aetatis utilissime transactae gravitate haud indignam. Senectuti enim celebrandae et ornandae nullum honestius esse existimabant subsidium, quam quod in Iuris explicatione esset positum: itaque hoc non tantum ad causarum usum forensem appetebant, sed etiam ut, cum vires deficere coepissent, ab solitudine domum suam vindicarent: nil enim praeclarius, esse bene noverant, quam honoribus et reipublicae muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere idem, quod apud ENNIUM dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, *unde sibi*, si non *populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant*,

Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas (88):

quid mirum igitur, gravissimorum illorum virorum

(87) Cic. *Brut.* c. 84.

(88) Cic. *de Orat.* I. 45.

domum exstitisse quasi totius civitatis oraculum, ubi in solio sedentes tanquam ex tripode responderent, ac, quamquam nemini se ad docendum darent, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docerent" (89). Hemicyclium soliumve circumstabant iuvenes ad similem aliquando laudis atque existimationis praestantiam contendendi studio ducti, atque ex senis ore pendentes veram iuris explanandi rationem veluti ab oraculo petebant: ille vero, ut vetus gubernator, quae litora et portus et quae tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis poscat ratis, docebat et hortabatur (90). Haec vero ita plurimum instituebat, ut simul consulenti opem ferret et discipulis prodesset. Mihi enim non arridet coniectura viri acutissimi SCHILLING (91), e verbis CICERONIS, ubi de simplici hac Scaevolae docendi ratione loquitur, efficientis, alios forte ICtos aliam tenuisse viam: cum, et universa huius rei ratio, et diserta eiusdem auctoris, quae iam allegavimus, verba indicare videantur, communem istum modum fuisse Iuris Civilis docendi. Alius tamen in promtu erat, si pueri inter ICti parietes educabantur: de eo vero paucis

---

(89) CIC. *Brut.* c. 89.

(90) Cf. E. OTTO, *de vita caet. Serv. Sulpicii.* T. a R. 1737, p. 124.

(91) SCHILLING, *Bemerkungen*, caet. p. 350.

dicemus, ubi de discendi ratione agendi erit locus. Nihil igitur iucundius ICtis videbatur tali senectute, stipata studiis iuventutis; dum eae ipsis suppeterent vires, ut adolescentulos docerent, instituerent, ad omne officii munus instruerent: neque sic ulli bonarum artium magistri non beati putabantur, quamvis consenuissent vires atque defecissent (92). Fuit revera haec aetas Iuris doctoribus omnium magnificentissima: neque enim insigniores, quae postea iis accesserunt, in docendo partes, nec stipendia privatim vel publice iis tributa, neque honor a Principibus iis habitus, tantam vel in extrema vitae parte, cum alii contemnerentur aut oblivioni cederent, ipsis conciliaverunt auctoritatem, quantam hac florentissima reipublicae Romanae aetate, qua, teste TULLIO, »Ius Civile docere semper pulchrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus" (93).

## § 7.

### *De claris Iuris Civilis hac aetate doctoribus.*

Hactenus generaliora: ad ipsos iam respiciamus Iuris doctores, quemadmodum nobis eorum imaginem referunt veteres. Quos vero omnes enumerare

---

(92) Cic. *de Senect.* c. 9.

(93) Cic. *Orat.* 41.

quum longum sit, et a nostri opusculi rationibus alienum, uonnulla sufficiat animadvertisse de iis e veteribus, quorum eximiae Iurisprudentiae famae singu lares quoque succreverunt docendi merita et laudes. Inter primos memorantur Aelii fratres et L. Acilius (94), qui maximam scientiam in *profitendo* habuerint (95). Ex horum vero numero Sex. Aelius Iuris Civilis omnium peritissimus CICERONI (96) dicitur, et ab ENNIO appellatus est

Egregie cordatus homo, catus Aeliu Sextus (97); dignissimus igitur qui vere nominaretur Iurisconsultus, cum ex eorum genere esset, qui legum, et consuetudinis eius, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum et ad agendum, et ad cavendum essent periti (98): ad quos olim, et in transverso ambulantes foro, et in solio sedentes domi, sic adibatur, non solum, ut de iure civili ad eos,

---

(94) Ita enim legendum cum RUPERTO ad POMP. l. l. § 38. p. 173, quem et sequi videtur ZIMMERN, l. l. p. 268.

(95) POMP. l. l. § 38. Vertit ZIMMERN: *durch ihre Unterweisungen.* Recte, ut videtur: respicit enim Ictus ad ea, quae supra dixerat de Coruncanio. Cf. CONRADI, *in Orat.* I. p. 369.

(96) CIC. *Brut.* 20.

(97) Apud CIC. *de Orat.* I. 45; cf. Q. ENNII *Fragmenta cur.* HESSEL. Amst. 1707, p. 128.

(98) CIC. ibid. I. 48. in fin.

verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur (99). Hic autem ICtus plane egregius, sive sponte sua ut plurimorum commodis inserviret, sive ut ICtorum inprimis votis satisfaceret, in brevi conspectu praesentem Iuris Civilis statum poni desiderantium, librum edidit, supra iam memoratum, *Tripartita* inscriptum, qui totius iurisprudentiae elementa et veluti cunabula iuris contineret (100). Cum vero POMPONIUS statim post expositam Iuris Flaviani historiam etiam huius operis meminerit, multi ante nostram aetatem ICti (101) ex utriusque iuris coniunctione in eadem § 7 POMPONII, perperam concluserunt, *Ius illud Aelianum* Flaviano Iuri adeo esse aequiparandum, ut per illud nova item arcana Patriciorum in ordinis ipsorum insigne detrimentum divulgata censenda sint. Recentiores vero (102) rectius animadverterunt, illam opinionem

---

(99) Cic. ibid. III. 33.

(100) Pompon. *de O. I.* § 38 coll. § 7 in f. De hoc autem opere, *Jure Aeliano* vulgo appellato, ejus auctore et familia inspici meretur HENR. NORIS in doctiss. ad *Cenotaphia Pisana* dissertatt. ed. Venetiis 1681 p. 419, 421.

(101) In quibus etiam BACHIUS *l. l.* § 5; neque contradicit ibi STOCKMANN. in adnot.

(102) Cf. HUGO, l. l. p. 454: item ZIMMERN, p. 419 sq. coll. p. 103, 269.

neque niti POMPONII aliusve ex veteribus testimonio, neque probabilem esse. Ne enim dicam nulla prorsus vestigia deprehendi similis indignationis ordinis Patricii occasione editi operis, atque antea cum Flavius fastos evulgaret, credibile non est, dimidium seculi postquam Tib. Coruncanius ius publice profiteri coepisset, — nam in hoc tempus incidit historia promulgati Iuris Aeliani, — nova iterum Patrum arcana in lucem prodita esse: nempe frustra obsoleta iam istiusmodi artificia adhibuissent ad reservandam sibi iurisprudentiam. Itaque longe probabilior est sententia modo exposita. Neque tamen idcirco necesse, ut ius Aelianum pro theoretico habeamus doctrinae compendio, ex quo scilicet iuvenes Romani prima disciplinae Iuris elementa peterent, artisque boni et aequi principia (103). Agnoscamus igitur eximium

(103) Nimius hic quoque mihi videtur doct. CHRISTIANSEN, op. l. p. 303, in theoretico Juris Aeliani pretio censendo. At quamcunque tandem de hisce *Tripartitis* sententiam amplectamur, falli certe dicendus est PIGHIUS, loco a RUPERTO cit. ap. UHLIUM p. 171, conjiciens scilicet, nominis originem repetendam a *triplici jure*, quod XII Tabulae continuissent, uti indicare videtur AUSONIUS his versibus (*):

Ius triplex, tabulae quod ter sanxere quaternae;
Sacrum, privatum, populi commune quod usquam est.

De quo loco AUSONII, perperam olim adhibito ad ordinem legis Decemviralis constituendum, conferri etiam meretur cl. DIRKSEN, *Uebersicht d. bish. Versuche caet.* p. 9, 10.

(*) Idyll. XI. vs. 61, sq.

pro aetate operis pretium, utpote quod universam Iuris Civilis conditionem ordine quodam concinno descripserit; verum si adtendamus temporum rationes quibus compositum est, magis esse videtur, quod Tripartita illa habeantur pro commentariis iuris civilis practicis, in usum eorum, qui iam foro ac iudiciis se dedissent, neque adeo acquiparentur libro alicui elementario, ex quo iuris tanquam artis principia hauriret iuventus iuris studiosa. — Haec de Sex. Aelio, eiusque Tripartitis a POMPONIO laudatis; tum vero silentio hic praetermittere non licet Muciorum domum clarissimam, in qua iura civilia quasi bonum aliquod familiae proprium maxima olim cum laude versata fuerant et religiose culta (104). Hanc vero Iuris Civilis scientiae laudem, quae, ut alius scriptoris verbis utar (105), » Manilios, Scaevolas, Servios in amplissimum dignitatis gradum evexit," inprimis Q. Mucius Scaevola Augur, item P. Mucius Scaevola Pontifex impense tuiti sunt, discipulorumque egregiorum numero ad posteros propagarunt. Ille adolescens Academicae (106) et

(104) Uti ipse Q. MUCIUS testatur ap. CIC. *de Orat.* I. 10. Cf. G. D'ARNAUD, *Vitae Scaevolarum* ed. H. J. ARNTZENIO. T. a. R. 1767, p. 22. sqq. MAJANSIUS, *ad Triginta ICtorum Fragmenta.* T. I. p. 159 sq.

(105) MAMERTINI *in Panegyr. Julian.* locum exhibet Arntzenius, l. l. p. 23.

(106) CIC. *de Orat.* III. 18.

Stoicae (107) philosophiae scientia imbutus, adeo ab ipsa natura ad Iurisprudentiam informatus fuisse videtur, »ut nullius artis faciliorem sibi videri cognitionem profiteri potuerit" (108): quid mirum igitur, tanta ipsum in ea doctrina laude floruisse, ut eius »ianua et vestibulum, infirmissima quamquam valetudine utentis affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratum fuerit" (109). Quis, inquam, miretur, iuvenum quoque iuris studiosorum, quorum postea inclaruerint nomina, maximam ibi fuisse celebritatem. Ex his vero citasse sufficiat L. Crassum, Romanorum disertissimum (110), et ipsum M. Tullium, qui puer ad Scaevolam iam senem a patre deductus est, ita ipsi dilectum, ut, quoad posset et liceret, ab eius latere nunquam discederet (111). — Eadem fere aetate floruit P. Mucius

---

(107) Cic. ibid. I. 10.

(108) Cic. ibid. I. 41.

(109) Cic. ibid. I. 45.

(110) Cf. cic. *de Orat.* I. 10. 55.

(111) Cic. *Lael.* c. 1. Quod idem in Bruto, c. 89, testatur, ubi »ego autem," inquit, »Iuris Civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae Q. F., qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat." Qui locus fere omnibus male refertur ad Q. Scaevolam P. F. Etenim post Q. Scaevolam Q. F. demum mortuum ad Q. Scaevolam P. F. perve-

Scaevola, quem itidem iuvenibus iuris studiosis insignem operam impendisse testantur veteres: inter eius discipulos memoratur P. Rutilius Rufus, »cuius adolescentiam ad opinionem et innocentiae et Iuris scientiae P. Mucii commendabat domus"(112). — Tandem summos laudes tulit Q. Mucius Scaevola P. F. Pontifex Maximus, divini humanique iuris auctor celeberrimus (113), quique apud Veteres tam primus ICtus exstitisse dicitur, quam Orator Tiberius Gracchus (114). Huius quoque multi memorantur et praeclari discipuli, inter quos praecipuae auctoritatis fuerunt C. Aquilius Gallus (115), Lucilius Balbus, Sex. Papirius, C. Iuventius (116); sed e quorum numero maxime in censum veniunt, tum ipse Cicero, tum eius familiaris T. Pomponius Atticus. Tullius enim, mortuo Scaevola Augure, se ad hunc Pontificem contulit, quem unum civitatis

---

nit CICERO: hic vero agitur de a. p. U. C. 665, et Q. S. Q. F. a. 666 diem supremum obiit. Errorem post FABRICIUM indicavit nuperrime doct. H. MEIJERUS ad CIC. BRUTUM. Hal. 1838, p. 252.

(112) Cic. *de Offic.* II. 13.

(113) VELLEI. PATERC. II. 26.

(114) PORPHYRIONI ad *Horat.* Epist. II. 2. vs. 87.

(115) Cl. HEINECCIUS, *de C. Aquil. Gallo ICto*, in *Operib.* t. II. p. 783.

(116) Vid. L. 2. § 42. *D. de O. I.*

suae et ingenio et iustitiae praestantissimum dicere nullus dubitavit (117): Atticus vero ipse testis est, Iuris Civilis se studio ductum cum amico ad hunc Scaevolam discendi causa ventitasse (118).

Plurium exempla et merita recensere nil adtinet: unum tamen addere iuvat, Servium Sulpicium, utpote qui ex aequalium sententia omnes facile doctrinae praestantia post se reliquerit ICtos. »Omnes" ait CICERO, »qui in hac civitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpicio non sunt comparandi. Neque enim ille magis iuris quam iustitiae consultus fuit. Ita ea quae proficiscebantur a legibus et a Iure Civili semper ad facilitatem aequitatemque referebat; neque instituere litium actiones malebat, quam controversias tollere (119). Qua in re quantopere admirabilis eius in legibus interpretandis atque aequitate explicanda scientia iurisprudentiae ipsius dignitati atque existimationi profuerit, omnes intelligunt, qui ad iuris antiquioris normam severam adtendant, atque ad CICERONIS verba, haud uno loco querentis, plurimos ea aetate fuisse, qui Ius Civile profiterentur, nec tamen ICtorum nomine essent digni (120). Germanam

(117) Cic. *Lael.* c. 1.

(118) Ap. CIC. *de Leg.* I. 4. Cf. BULLEMAN, l. l. p. 21.

(119) Cic. *Philipp.* IX. 5.

(120) Cf. CIC. *de Leg.* I. 5. *de Offic.* II. 19. *pro Muraen.* 9.

igitur Servius ad iuris praestantem scientiam persequebatur aliisque indicabat viam; et suo adeo exemplo caeteros docebat, ignorationem iuris litigiosam esse ac difficilem, non iuris scientiam (121). Ab hoc etiam plurimi profecti ICti egregii (122): nuncupantur Alfenus Varus; quem GELLIUS (123) Servii Sulpicii discipulum vocat, alii item successorem (124): Caius Aulus Ofilius, cuius plurima memorantur opera (125): Titus Caesius, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, C. Ateius Pacuvius, Cinna, cuius et alii meminerunt in Pandectis ICti (126): Publicius Gellius, Edicti forte Publiciani auctor (127): Labeo denique Antistius, pater eius, qui in sequenti aetate ICtorum familiam ducit. Nec mirum, tanta floruisse Servium et sui et praestantis suae

---

(121) CIC. *de Leg.* I. 6.

(122) Ita POMPONIUS in L. 2. § 44. *D. de O. I.* cf. OTTO, l. l. p. 124 sqq.

(123) GELL. *Noct. Att.* VI. 5. conf. quoque ACRON ad HORAT. *Satyr.* I. 3. 124.

(124) SERV. *ad.* VIRGIL. *Eclog.* IX. 35. cf. OTTO, l. l. p. 172—192.

(125) POMP. *de O. I.* § 44. cf. OTTO, l. l. p. 124 sq.

(126) V. gr. ULPIANUS in L. 6. *D. de Rit. Nupt.* JAVOLENUS in L. 40. § 1. *D. de Cond. et Dem.*

(127) Cf. CUIACIUS aliique ad § 4. *I. de Act.*

doctrinae studiosorum celebritate, cum teste CICERONE (128) Iuris Civilis quidem magnus usus et apud Scaevolam et apud multos fuerit, ars vero in illo uno: qua artis, in qua regnabat, praestantia, cum quasi lucem adferret ad ea, quae confuse ab aliis vel minus perspicue et destinate aut responderentur aut agerentur, id effecit, ut ex sua disciplina eximiorum prodiret ICtorum familia et uberrimus quasi proventus, qui Iuris Civilis scientiam ad summum provexerint auctoritatis ac splendoris fastigium.

## § 8.

### *De iis, qui hac aetate Ius Civile didicerunt.*

Iis, qui aliquando ICti munere et officio bene fungi cupiant, necessariam esse Iuris Civilis diligentem et accuratam cognitionem, et res ipsa docet, et probe intelligebant Romani. At horum maxime vitae publicae ratio in causa fuit, cur et aliis, nisi consummata omnibusque numeris absoluta, probabilis tamen quaeque praecipua eius capita universe complecteretur, utilissima censeretur patrii iuris scientia. ICti enim, postquam eloquentiae studia etiam Romae appeti coepta essent, neque ulla vitae publicae pars iis facile carere posse existimaretur, causis ac negotiis forensibus magis consiliis quam re ipsi intere-

(128) In *Bruto* c. 41.

rant: litem procurare et persequi aliorum erat, nimirum cognitorum et procuratorum; imo ne postulationes quidem, sive advocationis, quae dicitur, partes adhuc ad proprium eorum officium pertinere existimabantur. Oratorum vero in eo positum erat munus, ut causas in foro orarent ac tuerentur. His igitur non sat erat, gravi uti loquendi genere, plane, ornate, eleganter, apte dicere: multa quoque iis cognoscenda erant, ac velut arripienda ex natura hominum communi, ex moribus item ac rationibus iis, quibus hominum mentes et incitari et reprimi solent, tum vero de historia, de antiquitate, de administratione reipublicae, denique de ipso Iure Civili (129). Nec sane Romanos fugiebat, communi quodam vinculo, utramque consociari disciplinam: imo praestantes illi in civitate viri ad unum omnes probe tenebant, neminem in Iure Civili satis facere posse, nisi dicendi copiam assumsisset, neque ante causas amicorum tractare atque agere posse, *quam Ius Civile didicisset* (130). Neque sine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque *sine legum*, *morum*, *iuris scientia*, neque natura hominum incognita ac moribus, in his rebus satis

---

(129) Cic. *de Orat.* I. 36.

(130) Cic. ibid. c. 37.

callide versari et perite posse (131). Gravi igitur reprehensione Oratores, qui Ius Civile neglexissent, vacare vix poterant. »Nam" ita Tullius hac de re queritur »volitare in foro, haerere in iure et Praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac iure certatur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, caeterarumque rerum innumerabilium iura versantur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae (132)." Haec igitur et horum similia iura suae civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et promto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, praesidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, hominis Romani persona ac gravitate merito indignum, quin et flagitiosum existimavit CICERO (133). Neque tantum in summam invehitur istorum impudentiam,

(131) Cic. ibid. c. 11.

(132) Cic. ibid. c. 38.

(133) Ibid. c. 40 in f.

verum segnitiem quoque et inertiam castigat Oratorum, qui Iuri Civili operam impendere dedignati essent. Nempe, si esset eius cognitio magna ac difficilis, tamen *utilitatis magnitudo* debuisset homines ad suscipiendum discendi laborem impellere (134).

Haec igitur similiaque quamvis neminem facile tunc temporis latere potuerint non plane rudem rerum publicarum, neque ullus reperiretur paterfamilias, quin probe intelligeret, Oratori perdiscendum esse Ius Civile cognoscendasque leges, caetera cum statu publico coniuncta (135), negari tamen nequit, plures exstitisse Oratores, qui utilissimum hoc studii genus insuper habuissent, quique, cum ad causas orandas accingerentur, in quaestionibus difficilioribus ad ICtorum confugere soliti essent artis sibi perquam necessariae peritiam (136), ut in re, cuius ipsi haud perspicerent proprias dotes ac veluti interiores recessus, saltem niti possent auxilio atque prudentia eorum qui illam tenerent, quique in ea quasi vitae posuissent tabernacula (137). Quod quantas saepe

---

(134) Cic. ibid. c. 41. cf. F. E. BERG, *de ICto e sententia Ciceronis*. Amst. 1822, p. 32 sq.

(135) Cic. ibid. I. 34, 44.

(136) Cf. ampl. BYNKERSHOEK. *Observat. Jur. Rom.* l. VII. c. 6. Add. B. A. NAUTA, *de perfecto Oratore e sententia Ciceronis*. T. a. R. 1820. p. 87—89.

(137) Cf. CIC. *de Orat.* I. 15.

adtulerit difficultates omnibus persuasum sit, qui rerum forensium cogitent amplitudinem, istasque solemnium verborum formularumque ambages, quales iuvenili adhuc iurisprudentiae aetate, nondum consummato opere et perpolito, exstitisse constat. Quid igitur aut turpius aut magis periculosum esse potuisset, quam eum, qui hanc personam suscepisset, ut amicorum controversias causasque tueretur, laborantibus succurreret, aegris mederetur, afflictos excitaret, vel in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videretur (138). Ita Servius Sulpicius, antequam Iuri Civili satis operae impendisset, quum ad causam amici orandam se praepararet atque de iure Q. Mucium consuleret, responsum tulisse fertur, cuius ipse non intelligeret rationes, iterumque adeo percontatus, in iustam senis gravissimi reprehensionem incurrisse, iure meritoque ipsi regerentis, turpe esse Patricio et nobili et causas oranti ius, in quo versaretur, ignorare (139). Quae res quin salutares doloris aculeos iuvenis animo impresserit postea summam iuris praestantiam consecuti, non est quod dubitemus. Ex eorum vero numero, qui intimam

(138) Cic. ibid. I. 37.

(139) Vid. POMPON. in *L.* 2. § 43. *D. de O. I.*, ad quem locum cf. F. V. ZIEGLER, *Quaestion. ad J. R. pertinentes.* Lips. 1837. p. 92 sq.

illam scientiarum necessitudinem, ut par esset, adtenderent, omnes facile superavit Cicero; qui, teste Quintiliano, non modo inter agendum nunquam destitutus erat scientia iuris, sed etiam componere aliqua de eo coeperat: ut appareret, posse Oratorem non *discendo* tantum iuri vacare, sed etiam *docendo* (140).

## § 9.

### *De Iuris Civilis discendi ratione.*

Vidimus ad ICtorum solia admissos adolescentes, responsa audientes de variis vitae civilis negotiis, quin et de rebus domesticis, plana plerumque et perspicua, at haud raro tamen de quaestionibus difficilioribus ac dubiis causarum subtiliorum, ad quarum rationes explicandas non nisi probabilis iuris scientia praeberet aditum. Itaque quaeri possit, num tanto acumine ingenii et felicitate plane mirabili valuerint Romani, ut omnia statim perspicerent discernerentque, quae vel in gravissimis consultationibus ipsis ICtis, cum dubitandi, tum decidendi rationes attulissent. — Nemo facile dixerit: neque profecto ista fuit veterum Quiritium animi levitas, ut naturae fe-

---

(140) Quintil. *Inst. Orat.* XII. 3. Exemplum vid. in Epist. ad Fam. VII. 22. cf. J. R. THORBECKE, *de perfecto Oratore e sent. Cic.* T. a. R. 1820, p. 139.

licitati dicam, an fortunae, plane relinquerent, quae doctrina tantum ac labore comparantur. Curandum igitur existimarunt, ne notionibus apprime necessariis ac veluti omnis scientiae Iuris fundamentis destituti iuvenes, illotis, ut aiunt, manibus, ad Iurisprudentiam se conferrent: idque adeo curae omnino habuerunt, ut prima iuris elementa essent edocti, antequam ad ICti domum accederent. Ita hac aetate *pueros* didicisse XII Tabulas a Cicerone accepimus (141): neque vero hic soli intelligendi videntur, qui tenera adhuc essent aetate, imo paulo maiores natu; nimirum, qui, virilem togam iam sumsissent, vel in eo essent ut sumerent: hos igitur, quum brevi post in ICti alicuius familiaritatem traderentur, prius forte ex huius consilio discere oportuerit XII Tabulas (142). Id vero procul dubio ab omnibus factum sit, qui probe intelligerent, se non ante ex ICtorum responsis utilitatis fructum magnopere percepturos, quam generalem saltem quandam iuris suae civitatis sibi comparavissent notitiam: attamen idem aliis quoque in more fuisse videtur adolescentibus ingenuis, quorum parentes vel propinqui hoc negligi non sinerent. Sic Cicero *a parvis* (143)

(141) Cic. *De Leg.* II. 23.

(142) Cf. TYDEMAN, l. l. p. 89.

(143) Cic. *de Leg.* II. 4.

hoc occupatus fuerat studio, quem item a primo tempore aetatis iuri studuisse meminit eius familiaris (144): nec sane aliud de Attico dicendum, qui eodem tempore ad Scaevolam se ventitasse ait (145), et amico suo tantum triennio esset maior (146). Erant tamen et alii, qui non mature ad haec studia animum applicarent, verum (quod de Servio Sulpicio traditur) ὀψιμάθεις ad aetatem paullo provectiorem hanc differrent disciplinam. Universe vero tam Oratoribus quam ICtis futuris haec necessaria censebantur tirocinia; quare, ut diximus, Cicero et Atticus in iis haud minore diligentia versati sunt ac caeteri, qui in Iurisprudentia vitae tabernacula ponere secum constituerant: rara quippe fuerint eorum exempla, qui statim e Grammaticorum ludo transirent in forum, nec tamen ideo minus in numerum praestantissimorum patronorum reciperentur (147). Loquimur autem, exceptis iis iuvenibus, qui omnis liberalis educationis praesidiis caruissent, neque magis gram-

---

(144) Atticus ap. cic. ibid. 4.

(145) Cic. l. l. De horum Iurisprudentiae studiis cf. inter alios j. a. c. v. heusde, *M. Tullius Cicero Φιλοπλάτων.* T. a. R. 1836, p. 65 sqq.

(146) Non vero *uno* tantum anno, uti dicitur in middletoni opere. Vid. edit. Belgica, *het Leven van Cic., vert. d.* zillesen, t. II. p. 61. Conf. hulleman, l. l. p. 20, 21.

(147) Suet. *de illustr. Grammat.* c. 4.

matices, rhetorices, historiae didicissent elementa, quam iuris civilis principia: qualem fuisse accepimus Curionem, qui nullum poëtam noverat, nullum legerat Oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat, non publicum ius, non privatum et civile cognoverat (148).

Si de ratione quaeratur huius institutionis, pueri certe Decemviralem discebant legem, *ut carmen necessarium* (149): simpliciter adeo eam memoriae mandasse videntur, ut postea singula XII Tabularum loca in promptu haberent, et in audiendis iuris quaestionibus ICtis propositis primaria illa iuris antiqui placita, quae in rem praesentem facerent, et respondendi rationes adhibere atque perspicere possent. Ad verbum igitur has XII Tabularum leges ediscebant pueri; quae cum ab in ius vocatione ducerent exordium, huius pensi initium, et legem adeo ipsam a prioribus *si in ius vocat* appellare solebant (150); plane ut Graecos adolescentulos HOMERUM memoria tenentes, *Μῆνιν ἄειδε θεά* locutos perhibent. Quin tamen provectiores et libris usi sint, qui de Iure Decemvirali variis dein temporibus essent conscripti, in dubium vix vocari potest. Aelii Tripartita, ut vero simile, tironibus saepissime eximium hac in re

(148) Cic. *Brut.* c. 59.

(149) Cic. *de Leg.* II. 23.

(150) Cic. *de Leg.* II. 4.

praebuerint auxilium: forte alii item Commentarii, quorum notitia ad recentiores non pervenit.

Haec vero prorsus adhuc pertinent ad CICERONEM, eiusque aequales: postea vero, cum idem libros suos de Legibus scriberet, in eodem plane studio non amplius perseverasse adolescentulos, ab ipso TULLIO accepimus (151); imo plerosque tunc temporis ex Praetoris edicto Iuris Civilis disciplinam haurire solitos esse (152). Undenam vero ista tamque subita rei mutatio? Num rationem in eo positam esse affirmabimus, quod, cum variae multaeque, quae iam latae essent, leges Ius XII Tabularum paulatim mutavissent et imminuissent, Praetor ex illis, non ex Lege Decemvirali, normam sumserit iuris constituendi? (153). Fateor, inita subductaque ratione, mihi parum arridere hanc coniecturam; cum sic quaeri iure possit, cur igitur aut antea ipsam legem ediscendam arbitrati sint, neque potius edictum ad illam conformatum, aut quid tandem postea ipsos moverit a Praetoris edicto studia sua inchoare, non ab ipsis legibus illis, quae XII Tabularum iuri fuissent substitutae: itaque tutius forte statuere liceat, hac demum ipsa CICERONIS aetate, inter a. U. C. 664, quo

(151) L. l. *de Leg.* II. 23.

(152) Cic. ibid. I. 5.

(153) Ita amic. TYDEMAN, l. l. p. 39.

primum ICtis se applicuit, et 700, quo circiter tempore (154) libri de Legibus fuerint editi, Ius Honorarium maxime auctoritate illa insigni crevisse, qua per multa saecula prae caeteris iuris partibus idem valuisse novimus. Legem quidem Corneliam, sive plebiscitum illud, rogante Cornelio Trib. pl., quo cautum, ut Praetores ex Edictis suis perpetuis ius dicerent, morari nolim, utpote de quo diversae admodum sunt eruditorum sententiae; neque huic profecto tantum tribuere ausim, ut fluctuantem saepe nec satis bene ordinatam iurisdictionem Praetorum ad constantem demum ac perpetuam normam idem revocasse contendam, — si ita sentirem, sanequam operae pretium ducerem animadvertisse, ad idem tempus (a. U. C. 686) pertinere Legem Corneliam (155), quo CICERO Praetor factus sit: — at neminem tamen inficias iturum existimaverim, hoc ipso tempore, in quod TULLII aetas incidit, ex capitibus tralatitiis tanta tamque eximia incrementa cepisse Praetoris Edictum, ut maior in dies ei accederet auctoritas inter ICtos, et in foro maximam sortiretur efficacitatem;

---

(154) Cf. E. C. D'ENGELBRONNER, *de loco Cic. qui est de Legibus*, Amst. 1802, p. 4, et qui docte hac de re disputat v. ampl. M. SCHAAFF GRATAMA, in *Diss. Inaug. de M. Tullii Cic. de Rep. et de Leg. lib.;* Gron. 1827, p. 31 sqq.

(155) De hac lege admodum incerta cf. HUGO, l. l. p. 710 sqq.

quo factum sit, ut et initia doctrinae inde repeterentur, et opera prudentum sponte quasi ad hanc normam se adplicarent. Sic Servius Sulpicius, qui, ut multis videtur, legum XII Tabularum explicationem ediderat (156), hoc ipso tempore (Servii enim et TULLII aetates nihil fere differebant (157)) primus duos libros conscripsit ad Edictum Praetoris (158). Fortasse hi libri eidem, simili saltem inservierunt fini, atque olim Aelii Tripartita; nimirum ut adolescentibus viam explanarent ad Iuris Civilis studia; perquam enim brevissimos fuisse legimus (159): optaverat forte eos Brutus in amicorum iuvenum gratiam (160). Itaque, quamquam ipsa XII Tabularum placita non ita prorsus in desuetudinem abierunt, quin vel multis adhuc seculis post in plurimus capitibus pro genuino fundamento iuris civilis Romani haberentur, paulatim tamen propter accessiones illas iuris honorarii, atque interpretationem ICtorum, quae simpliciora illarum praecepta mirum in modum amplificaverant, usum in foro practicum,

---

(156) Cf. L. 237 *D. de V. S.* add. OTTO in *vita Serv. Sulp.* cap. 7. § 3.

(157) CIC. in *Brut.* c. 40, 41.

(158) Cf. L. 2. § 44 *D. de O. I.* coll. L. 5. § 1 *D. de Instit. Act.*

(159) D. l. 2. § 44. D.

(160) Cf. OTTO, l. l. p. 97.

et fere quotidianum, amisisse videntur; adeo quidem, ut iam aetate GELLII (161) multa legis Decemviralis placita, inprimis vero verba dudum obsoleta, ad studium antiquitatis referrentur, imo ne a ICtis quidem satis intelligerentur. Neque fortasse male coniecerimus, insignem illam, quam CICERO sua aetate factam testatur, mutationem praeparasse novam agendi rationem, quae post legem Aebutiam in plurimis causis legis actionibus antiquis successit (162). Etenim quamquam de aetate huius legis (163) non omne quidem dubium sublatum est, CICERONE certe est antiquior habenda; quippe cuius scripta satis superque demonstrant, iam tum per formulas ligigari solitum esse. Itaque quis miretur, post legem Aebutiam, seculo U. C. VI latam, in dies maiorem in foro ac iudiciis Edictis Praetorum accessisse auctoritatem, atque necessitatem omnibus ICtis sponte quasi enatam esse ad ea penitus cognoscenda, et mature

---

(161) Cf. GELL. *N. A.* XVI. 10.

(162) Cf. GELL. l. l. GAI. IV. 30. Cf. HUGO l. l. p. 403.

(163) Cf. HUGO, l. l. add. p. 421. BACHIUS L. II. c. 2. Sect. I. § 28 Aebutiam refert ad annum 520: alii sub finem eiusdem seculi latam suspicantur: cf. E. DUPONT, in *Disquisit. in comment.* IV. *Institt.* GAII (ed. L. B. 1822) p. 48. J. F. L. VAN HASSELT, *de legis actionibus*, p. 177: imo seculi demum VII. initio eandem tribuit cl. HEFFTERUS in *Observ.* VII. *ad* GAII L. IV. p. 23.

adeo ediscenda. Nam ad legem quidem Decemviralem magnam partem expressae erant legis actiones antiquae; in formulis vero, quae in foro successerint, gravissimae procul dubio exstiterunt partes Magistratuum ius dicentium. Haec igitur si adtendamus, et practicam cogitemus studii rationem, nondum ad disciplinae systema, sed prorsus ad usum forensem accommodatam, haud temere certe coniiciemus, in iuris civilis elementis addiscendis similem fere obtinuisse causam mutationis atque in methodo procedendi, quam dicere solemus; illius tamen immutationem non continuo legem Aebutiam subsecutam esse, sed tum demum, cum magis in foro esset stabilita agendi ratio per formulas: hoc vero contigisse ipsa CICERONIS aetate.

Iamque, hisce obiter disputatis, iuvenem ad ICtum comitemur. Pater vel propinqui, cum probe tenerent, adolescentis esse, ex maioribus natu optimos deligere et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate niteretur (164); quibuscum si frequens esset, opinionem afferret populo, eorum fore similem quos sibi delegerit ad imitandum (165); quorum praeceptis gaudeat, quibus ad virtutis studia ducatur (166); illi igitur ad tales filios vel pupillos dedu-

(164) Cic. *de Offic.* I. 34.
(165) Cic. ibid. II. 13.
(166) Cic. *de Senect.* 8.

cebant viros prudentia morumque probitate, ac Iurisprudentiae laude claros: ad hos, ut in ipsorum aedibus ingenuae liberalisque educationis cumulum attingerent; ad illos, ut quotidie fere ipsos frequentarent et comitando discerent. Sic Cicero ad Q. Mucium Scaevolam Augurem est deductus a patre, ut Iuris Civilis scientia imbueretur; quod tanto studio coluit, ut, quoad posset et liceret, a senis latere numquam discederet (167). Nec difficile est intellectu, quasnam ibi adolescentes egerint partes. » Erat enim (ut PLINII (168) utar verbis) antiquitus institutum, ut a maioribus natu, non auribus modo, verum etiam oculis discerent, quae facienda mox ipsis ac per vices quasdam tradenda minoribus haberent. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum sequerentur, assuescerent: inde honores petituri assistebant curiae foribus, et consilii publici spectatores ante quam consortes erant. Quae potestas referentibus, quod censentibus ius, quae vis magistratibus, quae caeteris libertas; ubi cedendum, ubi resistendum, quod

---

(167) Cic. *de Amicit.* 1. Cf. PLUT. *Cic. vit.* c. 2. Ciceronis in Iure Civili studium intercepit tirocinium pro patria in bello Marsico per anni spatium gesto: cuiusmodi praeclara in patriam amoris exempla apud nostrates recenti adhuc omnium memoriae inhaerent.

(168) Plin. *Epist.* VIII. 14.

silendi tempus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, exemplis docebantur." Quae de oratorio munere dicta in futuros ICtos quoque egregie quadrant. Hic quoque adolescentes omnino ante *spectatores* erant quam *consortes:* et quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, exemplis docebantur.

Primum igitur auditores aderant adsidui, ac diligenter quae scitu dignissima videbantur aut loca difficilliora notare solebant; caetera memoriâ custodire conabantur. Sic Cicero multa a Scaevola prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabat, fierique studebat eius prudentia doctior (169). Sequenti tempore haud exiguum ex hisce notis perceperunt utilitatis fructum, tum cum ipsi iam consulentibus sui copiam praestare incepissent, tum in libris conscribendis: nam saepius ea usurparunt, ut praeceptoris sui auctoritate ac nominis splendore suam adiuvarent et confirmarent sententiam. Ita plura in Digestis occurrunt loca, ubi sententiae afferuntur Servianae ab iis allatae ICtis, quos in § 6 inter Servii discipulos recensuimus. Sic Aufidius refert Servium respondisse (170); Namusa Servium respondisse scribit (171); Ateius item Servium

(169) *De Amicit.* c. 1.

(170) L. 52. § 18. *D. pro Soc.*

(171) L. 40. § 3. *D. de Cond. et Dem.*

respondisse scribit (172): quae omnia repetiisse videntur hi ICti ex iuvenili disciplina, quum praeceptori adessent responsa danti.

Itaque hac ratione adolescentes ICtos audiebant, tum domi, cum in foro consultationibus vacantes. Qui ita respondendo docentium simul munere fungebantur dicebantur *profiteri:* unde, ante Tib. Coruncanium publice *professum* neminem, traditur (173), hic vero primus *profiteri* coepit (174): alii deinde memorantur, qui maximam scientiam in *profitendo* habuerunt (175). Discentes vero mature vocati fuisse videntur *auditores;* idque iis commune nomen fuisse cum iis, qui philosophiae et eloquentiae operam navabant: eo autem initio contumeliae causa a deridentibus vocabantur; deinde in usu verbum esse coepit, et promiscue poni pro discipulo auditor (176). Ita de Mucii auditoribus compluribus (177), de Servii auditoribus (178) loquitur Pomponius; ut plures taceam, qui eodem nomine iuris

---

(172) L. 39. § 2. *D. de aur. arg. legat.*

(173) Verba POMPONII in L. 2. § 35. *D. de O. I.*

(174) L. 2. § 38. *D. eod.*

(175) L. 2. § 38. l.

(176) Verba sunt SENECAE in *Controv.* IV. 24.

(177) L. 2. § 42. *D. eod.*

(178) L. 2. § 44. *D. eod.*

studiosos significant(179). Neque vero multum superioribus obstat, quod idem ICtus in enarranda via ac ratione, qua Servius iuris scientiam adsecutus sit, duplici verbo utatur; *institutum* illum perhibens a Balbo Lucilio, *instructum* autem maxime a Gallo Aquilio (180). Errorem quidem esse, existimat amic. TYDEMAN, a POMPONIO commissum, utpote qui temporum rationes non satis distinxerit, et quae sua aetate instituendi ratio esset vulgaris, perperam antiquioribus tribuerit (181); Gallum vero Servio vacasse remotum a consultoribus, existimat cl. HOLTIUS (182): quod forte in Servio, qui dudum ex pueris excesserat, et aetate paulo maturior ad ius se adplicuit secundum eandem POMPONII narrationem, minus quidem mirum accidere possit. Equidem certe mihi persuadere vix possum, ICtum ita distinguentem aperte, et veluti alterum alteri opponentem praeceptorem, inconsulto separasse quae prorsus non different. — Imo si, quod POMPONIUS de Servio tradit, generatim ad omnes referre velis, qui, positis pueritiae tirociniis, ad Iurisprudentiam accederent, vel sic quoque aliqua diversitatis ratio in promptu erit. Nempe adolescentes

(179) E. gr. cf. TYDEMAN, l. l. p. 43. not. 65.

(180) L. 2. § 43. *D. eod.*

(181) TYDEMAN, l. l. p. 43. not. 64.

(182) In *Comment.* I, p. 14. add. SCHILLING, *Bemerkungen* caet. p. 350.

qui ad ICti alicuius praeclari domum ita a propinquis erant deducti, vel ipsi se mentis bonitate et in iurisprudentiam amore illis commendaverant, ut singulari familiaritatis favore fruerentur, non tantum respondentibus adfuisse credibile est, verum et ex quotidiano colloquio ac domestica disputatione insignem tulisse fructum; maxime cum ad sermones, quos inter se de doctrina sua iungerent plures ICti, admitterentur. Atque talem e. gr. prorsus eximiam studiorum opportunitatem nactus esse videtur Cicero, cum a Scaevolae senis latere vix discederet: ita P. Scaevola, M. Manilius et M. Brutus saepius familiari utebantur disputatione; cuius exempla praebent CICERO, qui disserentes inducit de partu ancillae, sitne in fructu habendus (183), et GELLIUS, apud quem disputant iidem de verbis legis Atiniae: *quod surreptum erit, eius rei aeterna auctoritas esto*, utrum in post facta modo furta lex valeret, an etiam in ante facta (184). Atque hisce igitur similibusque discipulos adfuisse, liceat coniicere: quorsum etiam videtur pertinere, quod GELLIUS l. l. refert de Q. Scaevola, patris sui memorante disputationem cum aliis doctissimis viris; cui cum forte interfuisset iuvenis, eandem controversiam memoriae mandaverit. Et sic maiore profecto studiorum op-

(183) Cic. *de Fin. bon. et mal.* I. 4.

(184) Gell. *N. Att.* XVII. 7.

portunitate ii gaudebant ex futuris ICtis, quibus contigerit esse tam felicibus, ut in ICti alicuius praestantis doctrinae familiaritatem reciperentur, vel cum iis cognationis necessitudine essent coniuncti. Quod vel maxime patet ex Ciceronis de Crasso testimonio, ubi affirmat eum et ingenio valuisse et studio, et habuisse *quasdam etiam domesticas disciplinas.* Nam et cum summo illo Oratore Ser. Galba, cuius C. filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat, et cum esset P. Mucii filius, fratremque haberet P. Scaevolam, domi Ius Civile cognoverat (185).

Tandem si de ipsa huius disciplinae ratione ac natura quaeratur, equidem adduci non possum, ut hanc tironibus iam circa interiora doctrinae principia et Iuris quaestiones difficiles versatam esse credam: etsi vero simile omnino est, non ad ipsorum arbitrium, et habito rerum delectu pro singulorum ingenii dotibus, et partis iam qualibuscunque scientiae praesidiis, verum, uti quaeque res incideret, secundum consultationem factam, accommodari consuevisse institutionis normam. Si vero nobis mente repraesentamus universam, qualis inprimis hac aetate conspicitur, Iurisconsulti personam, diversasque eius muneris partes probe attendamus, haud temere profecto coniicere liceat, adolescentes, quibus contigisset hisce disputationibus et consultationibus interesse, id maxime

---

(185) Cic. *Brut.* c. 26.

egisse, ut diversas causarum negotiorumque civilium distinctiones diligenter notarent, et rerum adeo definitiones verborumque significationes accurate cognoscerent, itaque paulatim ingenium mentemque notionibus iuridicis quasi praeparasse atque subegisse, ut similem civibus suis operam brevi post ipsi praestare possent, eam vero, in scribendo inprimis — quod ICtorum quoque officium fuisse constat — curam adhibere, ne e. g. in testamentis condendis, in contractibus ineundis fallerentur. — Praeter responsorum libros hac aetate iam conscribebantur libri de verborum, quae ad Ius pertinebant, significatione, quales v. gr. XII nuncupantur ab AELIO GALLO compositi (186). Neutiquam tamen credibile nobis videtur, ea, quae haud raro in his male explicata perperamque derivata inveniuntur, ita a ICtis esse composita, ut ad docendi rationem haec qualiacunque inventa etymologica, sive potius allusiones, accommodarent (187); cuius rei exemplo sit testamenti notio a *testando* scilicet et *mente* derivata (188): etenim

---

(186) De hisce, et de similium operum consilio ac ratione conferri meretur C. G. E. HEIMBACH, *de C. Aelio Gallo eiusque Fragmentis*. Lips. 1823, p. 4—6.

(187) Ut coniicit auctor ille ap. C. A. DUKERUM, in *Opusc. de Latinit. ICtor. Vet.* T. a. R. 1761, p. 29.

(188) Uti in pr. *I. de Testam. ord.*, et SERVIUS SULPICIUS apud GELL. *N. A.* VI. 12. Servii causam nuper defendere

quamvis nolim negare huiusmodi verborum lusum propter soni similitudinem facillime memoriae inhaerescere, iisque adeo auditorem sponte quasi eo adduci potuisse, ut pro certo teneret, v. c. dementes a testamenti factione arceri (189), haec tamen eiusque farraginis plura tribuerim potius nimio etymologicarum definitionum studio atque consuetudini, quae sive a Stoicis ad ICtos Romanos fluxerit (190), sive hisce communis fuerit cum antiquioribus fere omnibus, mirum in modum in genuinis grammatices regulis coecutientibus (191). Denique non abs re sit animadvertere, Iurisprudentiae forensis statum, quae fuerit postquam per formulas agendi ratio legis actionibus antiquis fere substituta esset, eo etiam ICtos adducere debuisse, ut in singulis prope litteris et verborum interpunctionibus diligentem operam ponerent (192). Haec vero uti universe adolescentiam produnt Iuris Civilis, ita haud minus certe demonstrant,

---

conatus est J. F. LIGNAU, in Opusc. *de origine et natura terminationis nominum in* men *et* mentem *exeuntium.* Braunsb. 1836. Vid. *Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag. v.* G. SEEBODE, J. C. JAHN U. R. KLOTZ, t. XXII. Lips. 1838, p. 448.

(189) Cf. MESSCHERT V. VOLLENHOVEN, l. l. p. 69.

(190) Ut scribit WYTTENBACHIUS in *Praeceptis Philos. Logic.* ed. Amst. p. 147.

(191) Cf. MESSCHERT V. VOLLENHOVEN p. 70. (2.)

(192) CIC. *pro Muraen.* c. 11.

ab istis quidem temporibus certam beneque ordinatam iuris disciplinam frustra postulari.

## § 10.

### *De Iuris Pontificii, Publici ac Philosophi studio hac aetate.*

Atque sic quidem pro virili, huiusque opusculi rationibus absolvimus, quae de Iuris Civilis docendi discendique ratione per splendidissimam hanc universam liberae reipublicae aetatem conquirere nobis licuerit. Si vero respiciamus practicam illam, quam animadvertimus, studii instituendi viam, qua omnia ad praesentia vitae civilis commoda ac populi mores maxime referre essent soliti, nemini non in oculos incurret, eruditam, quam vocamus, atque historicam Iuris tractandi colendique rationem iis temporibus non admodum placuisse (193): imo, si, ut par est, adtendamus ad interiorem illam necessitudinem, quae bene multis iuris capitibus cum veteribus institutis intercedere soleat, et tunc temporis omnino intercederet, paene verendum, ne in illo studii genere, quod practicum dicimus, nimii fuisse dicendi sint plerique huius aetatis ICti; adeo ut partim certe idem in negligentiam abiret eorum, quae a maioribus olim summa reverentia essent ha-

(193) Cf. HUGO, l. l. p. 464.

bita. Ita nimirum factum videtur, ut Ius Pontificium, cuius studium et superiori aetate floruisset maxime, et huius etiamnum aetatis initio probabiliter coleretur, utpote cuius cum Iure Civili intimam coniunctionem probe animadverterent, paullatim exolesceret, atque amplificatis caeteris Iuris partibus obscuraretur fere et in contemtionem adduceretur. Graves hac de re sunt Crassi apud CICERONEM querelae, indignati nimirum, quod ad honores adipiscendos et ad rempublicam gerendam nudi venirent multi atque inermes: quin et, si aliquis excelleret e multis, et v. gr. iuris sibi comparasset scientiam, ne huius quidem universi complecteretur amplitudinem: *Pontificium* enim, ita conqueritur, *quod est coniunctum*, *nemo discit* (194). At Scaevolae tamen, Servius Sulpicius (195), eorumque similes praeclarissimi viri, huius quoque Iuris disciplinam ICto saluberrimam existimarunt, neque omnes illius aetatis in eandem reprehensionem venire merentur. Uti enim celebratum erat Mucii Scaevolae effatum, Pontificem neminem bonum esse, nisi qui Ius Civile cognosceret (196), sic Iuris Pontificii noti-

(194) Cic. *de Orat.* III. 33.

(195) Cf. DIRKSEN in scriptione, cui tit. *über die Spuren historischer Kritik u. s. w. der Röm. Iuristen*, (in *Versuche zur Kritik u. Ausleg. d. Quellen des Röm. R.* Leipz. 1823) p. 224 sq.

(196) Cic. *de Leg.* II. 19.

tiam ad germani ICti studia prorsus pertinere nonnullis certe persuasissimum fuit (197): Servius inprimis, qui perfectae Iuris Civilis doctrinae laude celebrabatur, cum hoc Pontificium etiam Ius coniungendum esse iudicavit; quare Brutus ipsum studiose audivit, ut qua ex parte cum Iure Civili idem coniunctum esset a praestantissimo viro acciperet (198). Cuius coniunctionis quanta fuerit vis in vitam civilem, argumento esse possint ea, quae in Oratione pro Domo ad Pontifices disputantur (199).

Ex iis vero, qui hac aetate ipsi operam dederint, nuncupantur Tib. Coruncanius, qui ex Pontificum Commentariis longe plurimum ingenio valuisse dicitur (200); Ser. Fabius Pictor (201), qui de ipso hoc iure opus scripsit; Titus Manlius Torquatus, qui iuris civilis et sacrorum Pontificalium peritissimus audit (202); Trebatius, cuius citantur libri *de*

---

(197) Cic. ibid. et in *Brut.* c. 42. Cf. BERG, l. l. p. 35.

(198) Cic. ibid.

(199) Cic. *Orat. p. Dom.* c. 13, 14. Cf. BACH. L. II. c. 2. Sect. 4. § 54 sq.

(200) Cic. *Brut.* c. 14. Praeter hunc plures ICti fuerunt Pontifices Maximi. Cf. DE BAS, l. l. p. 12 sq.

(201) Cic. ibid. c. 21.

(202) VALER. MAXIM. V. 8. 3.

*Religionibus* (203). Itaque non est quod putemus, CICERONIS illas, quas sub Crassi persona movet, querelas universa reipublicae tempora spectare: imo magnam partem ad ipsius Tullii aetatem referendae videntur, cum de superiori tempore ipse testetur, de Pontificio et Civili Iure apertissima exstare responsa et scripta multa (204), quorum addiscendorum studio nonnulli certe ICtum earum rerum peritum adibant iuvenes (205). Hac vero aetate ad finem vergente in dies magis a Iuris Civilis studio secernebatur Ius Pontificium, ita ut fere perierit universa eius doctrina; cuius negligentiae culpam haud sane honorificam hoc fere colore obtexisse videntur, quod plurima huc facientia quasi vetustate obsoleta abiissent in oblivionem (206).

De caeteris autem Iuris Publici partibus, ac nominatim ea, quae hodie quidem Ius Gentium solet appellari, ex Romanorum vero more rectius a nonnullis vocatur Ius belli ac pacis (207),

---

(203) MACROB. *Saturnal.* L. III. cap. 3. Add. testimonia de Catone ap. CIC. *Cat. Mai.* 11.; de Scaevola apud VALER. MAXIM. VIII. 8. 2.

(204) CIC. *de Leg.* II. 18. in f.

(205) Cf. CIC. in *Brut.* l. l. c. 42.

(206) HUGO l. l.

(207) Vid. CIC. *pro Balbo* cap. 6. Peculiaris de hoc iure exstat Commentatio doct. OSENBRUEGGEN, *de Iure belli ac pacis Romanorum.* Berol. 1835.

monuisse sufficiat, iisdem temporibus nullas earum pro scientiae alicuius genere peculiari habitas esse, easve discendi singulares adfuisse opportunitates. Optime tamen eius studii vim perspexit commendavitque CICERO (208). Nec mirum; cum iis continerentur senatoria consuetudo, disciplina reipublicae, iura sociorum, foedera, pactiones, causae imperii. Atque »ut in rerum privatarum causis et iudiciis depromenda saepe oratio erat ex Iure Civili, sic in causis publicis iudiciorum, concionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria, et publici iuris auctoritas, et regendae reipublicae ratio ac scientia, tanquam alia materies, iis Oratoribus, qui versabantur in republica, subiecta esse debebant (209)."

Tandem quod ad Philosophiam adtinet, hanc quidem in futuris Iuris Civilis cultoribus instituendis non prorsus neglectam esse, supra paucis significavimus: non est tamen, quod putemus, transmarinam hanc doctrinam, qua nonnulli, quibus liberalior contigisset educatio, delectarentur adolescentes, esse adhibitam ad universi iuris placita ratione vere philosopha diiudicanda. constituendaque artis boni et aequi princi-

---

(208) CIC. l. l. item *de Orat.* I. 34. Cf. quoque NAUTA, in Comment. l. p. 88.

(209) CIC. ibid. c. 46.

pia. Huius igitur studii expertes fuisse videntur plerique ICti: enimvero quae fuerit M. Tullii paucorumque forte aliorum in philosophia atque oratoria arte doctrinae praestantia, pro universo huius aetatis ICtorum patrimonio non esse habendam, pluribus exponere nil adtinet.

# THESES.

I.

Fallitur ipse W. A. MACIEIOWSKI v. cl. in *Opusc. Sylloge*, Varsav. 1823, p. 126 scribens: »Quod POMPONIUS dicit in L. 2. § 3. D. *de O. J.*: exactis regibus lege tribunicia, omnes eorum leges exolevisse, falsum est; in quamcunque partem eiusdem verba rapere placeat.”

II.

Non prorsus adsentior doct. VOCKESTAERT, in Diss. *de L. Corn. Sulla Legislatore*, L. B. 1816, p. 118, scribenti, *imprudenter* Pompeium Tribunis Plebis omnia iura, quae Sulla iis ademerat, lege sua restituisse.

III.

Cicero in Oratione pro Muraena veram suam de ICtis sententiam non expressisse videtur.

THESES.

IV.

Apud HORATIUM, Epist. II. 1. 105, si Iuri consentaneam habere velimus sententiam, legendum:

*Scriptos* nominibus *certis* expendere nummos.

V.

Si qua Pontii Pilatii in causa Servatoris agendi rationis excusatio afferri possit, haud temere eam repetieris ex peculiari, quo fungebatur, muneris difficultate, atque ex populi Iudaici urbisque Hierosolymarum conditione.

VI.

Probabilis non est conjectura eorum, qui *Vaticana Iuris Romani Fragmenta* pertinere existimant ad alterum illum Codicem, quem praeter Codicem Constitutionem edere in animo habuit Theodosius Iunior; uti nunc cognovimus ex huius Epistola ad Senatum data a. 429.

VII.

Reprobandam censeo eorum opinionem, qui Imperatoris verba in Constit. *Deo auctore* § 4: »antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi Principes praebuerunt" respicere contendunt ad celeberrimam Theodosii II et Valentiniani III Constitutionem de citandis in foro veterum ICtorum scriptis.

## THESES.

### VIII.

Vulgaris opinio, Iustinianum constituisse tempus decem annorum, intra quod gravissimus labor componendarum Pandectarum absolvi deberet, fundamento idoneo caret.

### IX.

Si de norma quaeras, ad quam Iustinianus in Institutionibus argumentum Iuris Civilis ad res pertinens distribuerit, utrum eam ex iurium diversitate arripuerit, quae hominibus rerum habita ratione competant, an vero ex variis modis, quibus eas sibi ac patrimonio suo acquirant, hanc praetulisse dicendus est.

### X.

Summi tamen momenti est futuro ICto iurium illorum accurata distinctio: quare probanda plerorumque interpretum ratio, in huius loci exordio diligenti disquisitione iurium illorum differentias constituere conantium.

### XI.

Non opus est, ut effectus litis contestationis ex vero contractu, per aes et libram celebrato, explicemus.

### XII.

Adsentiendum existimo CESARI WEST, in opere temporario inscripto: *Revue étrangère et française de Législation et d'Économie politique*, Par. 1837, vol.

III. p. 708, dicenti: Une heureuse modification, qui semble s'être opérée dans les esprits de notre siècle, les porte à ne plus vouloir de cette scission jadis tant prônée entre la pensée religieuse, la pensée morale et la pensée politique, en même temps qu'ils repoussent avec sollicitude une confusion perfide ou inintelligente entre ces élémens, qui se tiennent, mais qui ne sauraient abdiquer leur individualité. Cette tendance, encore vague et toute instinctive, devra se poser plus tard, nette et bien formulée; et il est permis d'en augurer de bons résultats.

XIII.

Adsentimur WENCKIO, in Excurs. Sec. ad Orat. *de Iuris Natur. in studio Iuris Civilis usu nunc sine ratione spreto.* Lips. 1821, p. 62, dicenti: Quemadmodum a poeseos notione linguae, a picturae penicilli, ita coactionis commemoratio a definitione Iuris abesse debet: neque enim iuris notio cogendo formatur, sed ordo servatur.

XIV.

Quaestio Iuris Gentium naturalis, quae in Iure quoque Civili gravissima est, an bello exorto pereat inter bellum gerentes foederum auctoritas? ita dirimenda videtur, ut dicamus, omnia foedera eatenus salva manere, bello oborto, quatenus cum belli conditione consistere possunt.

## XV.

Quum abhinc paucos annos in patria nostra dubitabatur de quaestione, num adulteravisse monetam dicendus esset qui raserat, non necesse erat confugere ad advocatorum Parisinorum auctoritatem, ut vera verbi *altérer* significatio iure Gallico declararetur. Uti enim *altérer* et *altération* latissimo sensu in lingua gallica et variis Codicis poenalis locis usurpantur, ita iure veteri Francico, cuius egregius *saepissime* usus est ad rectam Codicis Criminalis et Poenalis interpretationem, a nemine, quoad sciam, unquam dubitatum fuit, quin qui rasisset monetam eam adulteravisset. IOUSSE, *Traité de la Iustice criminelle de France*, Paris 1771, vol. I. p. 184. »La monnoie," inquit »s'altère en y aioutant quelque chose, ou en la diminuant." BORNIER, *Conférences des Ordonnances de Louis XIV*, Paris 1729, t. II. p. 20. »l'Ordonnance" ita disputat »comprend sous ces deux mots (l'altération ou l'exposition de fausse monnoye) les diverses espéces de ce crime, qui se commet non seulement par ceux qui nummos adulterinos cudunt, et qui probos adulterant, *radunt*, exscindunt etc. Aliis verbis idem docet SOULATGES, *Traité des crimes*, Toulouse 1785, t. I. p. 20. »l'Ordonnance" inquit »en déclarant cas royal l'altération ou l'exposition de f. m. comprend non seulement le crime de ceux qui *rognent et diminuent* les espèces d'or et argent *en quelque manière que ce soit*, et qui les débitent dans le public les connoissant *altérées*, etc. DU ROUSSEAUD DE LA COMBE, *Traité des manières criminelles*, ed. VI[ta], Paris 1769, p. 126. n. 11:

THESES.

»Sous le terme d'altération ou exposition de fausse monnoie sont comprises toutes les espèces de crimes au sujet de la monnoie — toutes manières *d'agir sur la monnoie*, sans ou contre les ordres du Roi. Denique audiamus MUYART DE VOUGLANS, *les loix criminelles de France, dans leur ordre naturel*, Paris 1780, p. 141 dicentem: »*l'Altération* de la monnoie se fait 1°. lorsqu'on la fabrique plus légere qu'elle ne doit être 2°. lorsqu'on *rogne* etc.

XVI.

Immerito RAUTER, quamvis adtenderit ad mutationem Codicis Poenalis a. 1832 in Gallia factam »on ne peut" inquit »trouver trop sévère la disposition de l'article 304. C. P." *Traité théorétique et pratique du Droit Criminel*. Brux. 1837, p. 269, § 454.

XVII.

Qui pecuniam furatus in tabernam se contulerit, ibique rixa oborta homicidium commiserit, in Art. 304 C. P. G. partem priorem incidere non videtur.

XVIII.

Art. 81 Cod. Civ. Neerl. non continet exceptionem Art. 14 legis, quae generalia continet iuris praecepta.

XIX.

Ex universa Codicis Civilis patrii ratione matrimonium dici nequit contractus, proprie sic dictus.

# THESES.

## XX.

Ex iuris hodierni ratione nullae sunt nuptiae, quas minor, deficiente tutorum consensu, contraxerit non impetrata Iudicis Cantonalis veniâ; ut itaque art. 146 Cod. Civ. post verba *toezienden voogd*, ex mente legislatoris, supplendus videatur his verbis: *of, in geval van weigering van beiden, of van één hunner, zonder verlof van den Kantonregter.*

## XXI.

Quamvis in Tit. *de nuptiis* non expresse requiratur consensus Curatoris ad matrimonium prodigi, sub cura constituti, aliunde tamen satis apparere videtur, hunc consensum necessarium esse, ne postea matrimonium absque Curatoris consensu initum, nullum declaret iudex.

## XXII.

Donationes, quas memorat art. 229 Cod. Civ. Neerl., substitutionem vulgarem continere, minus recte, ut videtur, contendit ASSER, vir doctissimus, *het Nederl. Burg. Wetb. vergeleken met het Wetb. Napoleon*, § 155 sub *d.*